CAEREMONIALE BENEDICTI 14. PONTIFICIS MAXIMI IUSSU EDITUM PRO BASILICA...

Chiesa cattolica, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

15.2.182

15.T.2

Digitized by Google

XXXVI
Franciscani
1754.

Digitized by Google

Digitized by Google

Benedictus P.P. XIV

CÆREMONIALE
BENEDICTI XIV.

PONTIFICIS MAXIMI

JUSSU EDITUM

PRO BASILICA ASSISIENSI

SANCTI FRANCISCI

IN PATRIARCHALEM

ET CAPPELLAM PAPALEM

ERECTA.



ROMÆ MDCCLIV.

EX TYPOGRAPHIA GENEROSI SALOMONI

IN FORO SANCTI IGNATII

PRÆSIDUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google



BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

Divinum eloquium impletur, dum exaltatur in terris humilitas S. Franciſci.

FIDELIS Dominus in verbis ſuis, quum ſæpè in Scripturis ſanctis declaraverit, exaltaturum illos, qui voluntariæ demiſſionis affectu humiliarent in terra animas ſuas, non ſolùm in Cœleſti Regno puſillos Servos, quos Filii ſui humilitati conformes reperit, gloria & honore mirabiliter coronat; ſed etiam, ad mortalium fidem excitandam & roborandam, hoc pro ſua ſapientia di-

Digitized by Google

ſponit, ut qui viventes in Mundo, Mundi gloriam contemſerunt, eique placere non curarunt, ſplendidioribus poſt mortem honoribus in ipſo conſpectu filiorum hominum extollantur, eorumque memoria in terris decorata fulgeat, & glorioſa clareſcat. Quod quum in pluribus ſanctis Viris ab ipſo Mundi exordio, & maximè poſt conſtitutam Eccleſiam, ſæpiſſimè demonſtratum eſt; tum verò in Beati Franciſci Confeſſoris exaltatione, & in omnibus, quæ ad illius Inſtituti amplificationem, & memoriæ celebritatem pertinent, manifeſtè impletum conſpicimus. Qui enim vivens, in oculis ſuis & aliorum vileſcere ſemper ſtuduit, ac opprobriis & vituperationibus delectari conſuevit; jampridem irrefragabili Catholicæ Eccleſiæ judicio, clariſſimoque præconio, inter Amicos Dei cum ipſo in Cœlis regnantes, ubique terrarum honoratur & colitur: Illius autem Corpus, in quo mortificationem Chriſti ad mortem uſque circumferre non deſtitit, ſingularibus ſignis atque prodigiis de Cœlo illuſtratum, atque certantibus omnium Ordinum ſtudiis, ita Populorum & Principum devotione clarificatum fuit, ut ejuſdem Sepulchrum glorioſum, ſuper ambitioſa potentium ſæculi monumenta, meritò celebrari mereatur.

Honores, & Privilegia a Prædeceſs. Pontificibus collata Eccleſiæ Aſſiſien. ubi Corpus S. Franciſci reconditum eſt, enarrantur.

Et ſanè vix altero ab illius obitu anno decurſo, quum de Servi Dei exuviis decenter collocandis ageretur, eumque in finem opportunus locus & fundus prope Aſſiſienſis Civitatis mœnia illius Alumnis pro Apoſtolica Sede recipientibus oblatus fuiſſet; ſanctæ memoriæ Prædeceſſor Noſter Gregorius Papa IX. dignum exiſtimans & conveniens, illius memoriam,

per

per quem tantus Eccleſiæ Dei fructus provenerat, in eo etiam honorificari, ut Eccleſia, in qua ejus Corpus recondendum erat, nemini præterquam Romano Pontifici ſubeſſet, eumdem fundum in jus & proprietatem prædictæ Sedis Apoſtolicæ recepit; ſtatuitque Eccleſiam inibi conſtruendam omnino liberam, ac nulli alii, quàm Apoſtolicæ Sedi ſubjectam fore; & ad hujuſmodi libertatis ab Eccleſia Romana perceptæ indicium, unius libræ Ceræ cenſum annuatim ſibi & Succeſſoribus ſuis ab eadem Eccleſia perſolvendum decrevit; ſuper quibus Apoſtolicas Litteras, quarum initium eſt -- *Recolentes* -- edidit Reate, XI. Kalendas Novembris, Pontificatus ſui anno II. Deinde verò, quum idem Gregorius Prædeceſſor in ipſa Aſſiſienſi Civitate light glorioſiſſimum Patriarcham Sanctorum Confeſſorum Catalogo rite adſcripſiſſet, ac deſignatam hujuſmodi Eccleſiam in ipſius honorem Omnipotenti Deo dicandam erigendamque ſtatuiſſet, illius primario lapide ſuis ipſe manibus poſito, per alias ſuas Litteras datas Laterani, X. Kalendas Maji, anno Incarnationis Dominicæ MCCXXX. Pontificatus ſui anno IV. incipientes -- *Is, qui Eccleſiam* -- non modò conceſſum eidem Eccleſiæ libertatis, & immediatæ Romano Pontifici ſubjectionis Privilegium, nova & ſolemniori conceſſione firmavit; ſed etiam Eccleſiam ipſam Ordinis Fratrum Minorum Caput & Matrem ab omnibus habendam, ac in ea per Fratres ejuſdem Ordinis perpetuò ſerviendum fore conſtituit; aliaque ad aſſerendam illius immunitatem, ac dignitatem, & Fratrum in ea deſervientium commoda promovenda,

A fundationis initio S. Sedi immediatè ſubjicitur, annuo reſervato cenſu.

Pontificia manu primus lapis Eccleſiæ ponitur.

Caput & Mater Ordinis Minorum conſtituitur, Fratribuſq; ejuſdem Ordinis cuſtodienda in perpetuum traditur.

da, opportunè decrevit, quæ latiùs continentur in præfatis ejuſdem Gregorii Litteris; quas alii deinde Prædeceſſores Noſtri Romani Pontifices, ex quò ipſius Sancti Franciſci Corpus in eamdem memorabili pompa illatum fuit, in primis Innocentius Papa IV., qui poſtea Eccleſiam ipſam ad ſupremum faſtigium perductam, ſüaque jam conſtructione & mole conſpicuam, anno MCCLIII., Dominica ante Feſtum Aſcenſionis Domini, ad honorem Dei & ejuſdem Beati Franciſci ſolemni ritu dedicavit, nec non Clemens Papa IV. per ſimiles ſuas Litteras confirmarunt & innovarunt. Nicolaus verò etiam IV. peculiaribus Litteris, datis Reate II. Idus Maji, Pontificatus ſui anno II., & incipientibus -- *Præclara* -- ſtatuit Eccleſiam ipſam & totum locum ipſius cum pertinentiis ſuis, Eccleſiaſtico Interdicto abſque ſpeciali & expreſſo Apoſtolicæ Sedis mandato, ſub certa forma ibidem præſcripta concepto, ſupponi non poſſe.

Per Romanū Pontificem ſolemni ritu dedicatur.

Vetitum, ne Eccleſiaſtico Interdicto abſque S. Sedis mandato ſupponatur.

Porro eidem Eccleſiæ non parum honoris ex eo acceſſit, quòd alii ex Prædeceſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus non ſolùm ad eam, Beati Patriarchæ Tumulum veneraturi, ſæpè ſe contulerunt; ſed in Pontificiis quoque Ædibus prope ipſam extructis ad non exiguum tempus domicilium figere, atque omnis generis Pontificalia Sacra in ea celebrare conſueverunt: Inſuper Apoſtolicæ Sedis ſcrinia, aliaque Eccleſiaſticæ poteſtatis, & Civilis Imperii inſtrumenta apud eam collocarunt; nonnulli etiam in ea ſepulturam ſui corporis elegerunt. Quapropter ejuſdem Eccleſiæ immediata Apoſtolicæ Sedi ſubjectio, quæ

Magis ſpecialiter addicitur proprietati S. Sedis, utpote decorata *Frequenti Pontificum acceſſu. Pontificiis Ædibus, & diuturno eorum domicilio. Pontificio Archivo. Pontificum ſepultura.*

quæ ipſi cum aliis pluribus per Orbem Eccleſiis ab inferiorum Præſulum juriſdictione exemtis communis videri poterat, peculiaris cujuſdam Pontificum dominii, & proprietatis induit ſpeciem; eo vel maximè confirmatam, quòd quum in unius ſtructuræ altitudine trium reverà Eccleſiarum, quarum altera alteri imminet, mira ædificatio conſurgat, in ſuperioris Eccleſiæ Hemicyclo Pontificia marmorea Cathedra contra Aram Maximam uſque ab initio extructa, ſemper ſtetiſſe dignoſcitur; in ea verò, quæ media eſt, atque ſubjectum venerandi Corporis conditorium propiùs attingit, a latere Altaris, ubi Pontifices Sacris ſolemnibus operantes Thronum erexiſſe oportuit, aliquot ab hinc annis Pontificius pariter Thronus, ex auctoritate primùm ſan. mem. Deceſſoris Noſtri Clementis Papæ XII., atque iterum Nobis annuentibus erectus, aſſiduè retineri conſpicitur; De omnibus autem, quæ ad ipſam Eccleſiam, ejuſque cultum, & ſacras Actiones in ea peragendas quoquomodo pertinent, nihil ſive magnum, ſive parvum, ſtatui, aut immutari conſuevit, niſi conſultis priùs Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus; quorum ſingularis cura, & ſollicitudo, tam pro ejuſdem Eccleſiæ conſervatione, ac decore, quàm pro recta omnium in ipſa agendorum ordinatione ſemper enituit. Quare nil mirum, ſi plerique Romani Pontifices Prædeceſſores Noſtri eamdem Eccleſiam, Baſilicam etiam nuncupatam, compluribus Privilegiis, & Gratiis ſpiritualibus, & temporalibus cumularunt, & Nicolaus Papa V. per ſuas Apoſtolicas Litteras, incipientes -- *Licèt ex debito* -- datas Romæ

Duplici Pontificia Cathedra.

Nil in eo immutari conſuevit, inconſulto Romano Pontifice.

Ditatur appellatione Baſilicæ, pluribuſque Gratiis ſpiritualibus, & temporalibus.

Digitized by Google

Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCL. VIII. Idus Februarii, omnia & ſingula Privilegia, & Indulta hujuſmodi, tanquam a ſe ipſo conceſſa, perpetuam roboris firmitatem obtinere decrevit; & Sixtus Papa IV. eadem, aliaque poſteriùs impertita ſimiliter pro ſuis adoptans, novo confirmationis munimine roboravit, per ſuas pariter Litteras ſub Plumbo editas Romæ, apud S. Petrum pridie Idus Novembris, anno MCCCCLXXI., quarum initium eſt -- *Ad Ordinem* --, & Sixtus Papa V. aliis ſimiliter Litteris datis XIII. Kalendas Decembris, anno MDLXXXV. piam Chriſtifidelium utriuſque ſexus, Chordigerorum nuncupatorum, Archiconfraternitatem in eadem Eccleſia, & ad illius Altare Majus, auctoritate Apoſtolica erexit, compluribus eidem Indulgentiis & Gratiis conceſſis, quarum participatione etiamnum, juxta poſteriores Apoſtolicæ Sedis ſanctiones, innumeri Chriſtifideles aliis hujuſmodi Confraternitatibus, per omnes Mundi partes ex ejuſdem Sixti conceſſione erectis, aggregati ditantur. Utque alia innumera Apoſtolicæ liberalitatis erga eamdem Eccleſiam effuſæ argumenta prætereamus, fel. record. Prædeceſſor Noſter Innocentius Papa XII. per ſuas Litteras ſub Annulo Piſcatoris datas die XVIII. Auguſti, anno MDCXCVIII., ac perpetuis temporibus valituras, omnibus Chriſtifidelibus, qui illam verè pœnitentes & confeſſi, ac ſacra Communione refecti, in quocumque anni die devotè viſitaverint, ibique, ut in ipſis Litteris præſcribitur, oraverint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, & remiſſionem conceſſit: Deinde etiam per alias

Archiconfraternitas Chordigerorum in ipſa erigitur cum facultate aggregandi.

Indulgentia plenaria quotidie ibidem in perpetuum conceditur.

Digitized by Google

âlias ſimiles Litteras die xr. Martii ſequentis anni editas, tres in eadem pro tempore deputandos, riteque conſtituendos Pœnitentiarios Ordinis Fratrum Minorum Conventualium expreſsè profeſſos, ſatis amplis facultatibus pro confluentium Chriſtifidelium abſolutione a peccatis, atque cenſuris, & pro Votorum commutationibus, Apoſtolica auctoritate inſtructos, perpetuò extare voluit, atque conceſſit.

Tres in ea Pœnitentiarii Authoritate Apoſtolica deſignantur.

Tot igitur Venerabilium Prædeceſſorum Noſtrorum exemplis Nobis propoſitis, eorumque veſtigiis inſiſtentes, Nos etiam ad ejuſdem Eccleſiæ ſplendorem, ac decus augendum, cumulandumque libenter adducti ſumus. Quod quidem non tam ſingularis obſequii Noſtri affectus erga Beatum Franciſcum Patriarcham multis jam rebus privatim, & publicè declaratus, atque teſtatus; & peculiaris quædam, ac veluti hæreditaria in eumdem Familiæ Noſtræ devotio Nobis ſuggeſſit; dum animo occurrit, ipſo adhuc Beato Franciſco in vivis agente, primum Bononiæ locum illius Diſcipulis ad eorum Ordinis Cœnobium fundandum a Majoribus Noſtris oblatum fuiſſe; illius verò cum Chriſto regnantis Patrocinio complura in Noſtros beneficia profecta, ipſiuſque Familiæ Noſtræ conſervationem, peſtifera quondam graſſante lue, acceptam referri, grata mente recolimus: ſed ea potiſſimùm cogitatio Nobis ſuaſit, quòd meritò ſperandum duximus, Romanam Eccleſiam, ejuſque Ditionem, in cujus ſinu Beatus Pater & ortum habuit, & ſepulchrum, eò magis illius apud Deum interceſſionibus protegendam, atque ſervandam, quò magis

Pontifex Prædeceſſorum exemplo, & propria devotione erga S.Franciſcum permotus.

Ac a memoria Gentilitii ſuorum, qui ſociis ejuſdem adhuc viventis fundum Bononiæ obtulerunt pro conſtruendo Cœnobio, & inſigne beneficium acceperunt.

Et ad implorandum præſidium Romanæ Eccleſiæ & Eccleſiaſticæ Ditioni.

gis illuſtria, ad illius memoriæ honorem, Apoſtolicæ Sedis judicia extiterint, & decreta.

Motu proprio confirmat, & innovat Privilegia Eccleſiæ Aſſiſienſi a Prædeceſſoribus conceſſa.

Itaque motu proprio, ac certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, per hanc Noſtram perpetuò valituram Conſtitutionem, omnia & ſingula Privilegia, Prærogativas, Libertates, Exemptiones, & Immunitates, aliaque Indulta ſæpedictæ Eccleſiæ Sancti Franciſci Aſſiſienſis, tam per præfatos Gregorium IX. Innocentium IV. Clementem etiam IV. Nicolaum IV. & V. Sixtum quoque IV. & V. ac Innocentium XII. quàm per alios quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros quandocumque, & qualitercumque conceſſa, ſeu confirmata, & innovata, dummodo non ſint actu revocata, ſeu ſub aliqua generali revocatione comprehenſa, Nos etiam Apoſtolica auctoritate approbamus, confirmamus, & innovamus; eamdemque Eccleſiam ab Ordinarii Loci, ac omnium, & quorumcumque Præſulum, ſeu Superiorum, etiam Regularium, tam ordinaria, quàm delegata juriſdictione, viſitatione, & auctoritate penitus exemptam, liberam, & immunem, ſub immediata Noſtra, & Succeſſorum Noſtrorum Romanorum Pontificum, & Sedis Apoſtolicæ poteſtate, dominio, & proprietate confirmamus, & immutabiliter conſtituimus.

Iterum eam eximit ab omni Ordinaria & Delegata juriſdictione, & ſuſcipit ſub immediata S. Sedis poteſtate.

Eccleſiam Aſſiſienſem Sancti Franciſci in Baſilicam Patriarchalẽ & Cappellam Papalem erigit.

Præterea ſimili motu, ac ſcientia prædictam Eccleſiam Noſtram Sancti Franciſci Aſſiſienſis, præſentium Litterarum tenore, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, in Baſilicam Patriarchalem, & Cappellam Papalem erigimus, ac talem ex nunc in futurum perpetuò eſſe, & fore decernimus; Eamque Baſili-

Digitized by Google

ſilicam Patriarchalem , & Cappellam Papalem æquè & pariformiter nuncupari & haberi volumus , ac aliæ Baſilicæ Patriarchales intra Almam Urbem , & extra illius muros , nec non Cappellæ Papales in Pontificiis Ædibus , & prope eas conſtitutæ appellantur , atque cenſentur ; Statuentes nihilominus eamdem Ordinis Fratrum Minorum ejuſdem Sancti Franciſci Caput & Matrem ſemper eſſe , & haberi ; nec non , ut hactenus , per Fratres ipſius Ordinis Conventuales nuncupatos in ea perpetuò ſerviendum fore; Ac decernentes antiquum cenſum unius libræ Ceræ albæ , qui hucuſque ex parte ejuſdem Baſilicæ quotannis in pervigilio Natalis Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli , in ſignum immediatæ ſubjectionis Apoſtolicæ Sedi , in Camera Apoſtolica perſolvi ſolebat , perpetuis futuris temporibus , in memoriam etiam hujus honorificentiſſimi fœderis , quo noviter Baſilica Aſſiſienſis cum Sede Apoſtolica conjuncta eſt , ut antea , præſtari , & recipi debere .

Præſervat & confirmat Dignitatem Capitis & Matris Ordinis Minorum .

Servitium, ut hactenus , per Fratres Minores Conventuales præſtandum .

Et annuum cenſum Cameræ Apoſtolicæ ſolvendum .

Volumus idcirco Pontificium Thronum , ſeu Cathedram , tam eam videlicet , quæ in ſuperiori Eccleſia jam inde ab initio ſtabiliter locata conſpicitur , quàm quæ in Eccleſia inferiori poſteriùs , ut præfertur , erecta fuit , iiſdem in locis , in quibus nunc ſunt , pro ſolius Romani Pontificis , & nullius alterius , uſu , perpetuò retineri . Utrumque autem Altare Majus Baſilicæ hujuſmodi , ex ea tamen parte dumtaxat , qua Thronum Pontificium reſpicit , Altare Pontificium , ſeu Papale , ex nunc in poſterum eſſe & fore declaramus ; itaut nemini liceat , abſque ſpeciali Indulto , ſeu extra caſus , ut infra ,

Reſervat privativo uſui Romanorum Pontificum utrumque Thronum ſuperioris & inferioris Eccleſiæ .

Et utramque Aram Majorē, quæ Thronum Pontificium reſpicit .

per-

permiſſos, in uno, aut altero eorum Miſſam, ſive privatim, ſive ſolemniter celebrare.

Juſſu ſuo exaratum Cæremoniale pro Baſilicæ uſu, & contemporaneis Litteris adprobatum obſervari mandat.

De Sacris autem Actionibus in eadem Baſilica peragendis, & Cæremonialibus Ritibus ibidem ſervandis, quum Nos multiplices Leges & Regulas in unum colligi juſſerimus; eaſdemque peculiari Inſtructione digeſtas, ac diligenter examinatas atque probatas, aliis Noſtris Apoſtolicis Litteris in forma Brevis, cum Cæremonialis hujuſmodi inſertione hac ipſa die expeditis, duxerimus confirmandas; Nunc omnia & ſingula in Cæremoniali prædicto ordinata, & contenta, ac præſertim Indulta celebrandi in præfatis Papalibus Aris, tam Cuſtodi Conventus ejuſdem Sancti Franciſci, quàm aliis diverſis Præſulibus, atque Perſonis in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, Sæcularibus, ſeu Regularibus Prælatis, pro ſtatis diebus, ſeu certis reſpectivè vicibus, conceſſa; & alia quæcumque, etiam Indulti, & Privilegii naturam habentia, tam in ipſius Baſilicæ, quàm in Perſonarum quarumvis favorem, ibidem præſcripta, atque ſtatuta, præſentium quoque tenore approbamus, ac etiam perpetuò confirmamus: mandantes omnibus & ſingulis, ad quos pertinet, & quandocumque pertinebit in poſterum, etiam ſpecifica mentione, & expreſſione dignis, ut omnia & ſingula ibidem, ut præfertur, ordinata & diſpoſita obſervent, ac reſpectivè iiſdem in omnibus, & per omnia ſe conformare ſtudeant, iiſque obſequantur.

Indulget Perſonis in Cæremoniali relatis, ut præſcriptis diebus & vicibus Sacrum faciant in Aris Papalibus.

Eximit a lege expectandi ſignum Cam-

Neque verò eamdem Baſilicam comprehenſam eſſe aut cenſeri volumus ſub Prædeceſſoris Noſtri Leo-

Leonis Papæ X. lege ab ipſo in Concilio Lateranenſi edita, qua ſcilicet ſub certa pœna vetuit, ne in Sabbato majoris Hebdomadæ, in quibuslibet Sæcularium, aut Regularium etiam Privilegiatorum Eccleſiis, antequam in Cathedralibus, ſeu Matricibus Locorum, Campanæ pulſari poſſent; quin immo illam, utpote Papalem, & Patriarchalem Baſilicam, ab hujuſmodi lege ſpecialiter eximimus per præſentes; ita tamen, ut ſi illius Campanas prædicta die, ante illas Cathedralis Eccleſiæ Aſſiſienſis, pulſari contingat, aliæ in eadem Civitate vel extra eam conſtitutæ Eccleſiæ nequaquam eidem Baſilicæ reſpondere, ſed a prædicta Eccleſia Cathedrali hac in re, ut antea, dependere teneantur.

panarum Cathedralis in Sabbato Sancto.

Quòd ſi ad implorandam Cœleſtis auxilii opem, publicæ preces, oblatâ Fidelibus Indulgentiâ, de mandato Apoſtolicæ Sedis, ut identidem fieri ſolet, per Civitates atque Diœceſes ſint indicendæ, ſeu Jubilæi generalis, vel particularis conceſſio, aut extenſio ab eadem Apoſtolica Sede emanaverit, relicta Locorum Ordinariis facultate deſignandi Eccleſias aliquot, præter Cathedralem uniuſcujuſque Civitatis, in quibus hujuſmodi preces fundendæ, ſeu quæ ad Indulgentiam aut Jubilæum conſequendum viſitandæ ſint: Quod pertinet ad Aſſiſienſem Civitatem, volumus & decernimus, eamdem Baſilicam Sancti Franciſci, tanquam a Nobis, & a Romano Pontifice pro tempore exiſtente ad prædictos effectus, unà cum ipſius Civitatis Cathedrali Eccleſia, ſingulis vicibus expreſsè deſignatam, ſemper haberi: dictamque facultatem ab Aſſiſienſi Epiſcopo ſeu Ordina-

Deſignat illam viſitandam tempore Jubilæi, vel publicarum precum a S. Sede indictarum.

dinario, exerceri poſſe dumtaxat in aliarum Eccleſiarum delectu, ſi fortè plures duabus Eccleſiis fuerint deſignandæ. Ceterum ejuſdem Epiſcopi ſeu Ordinarii Edicta, Sententias, mandataque omnia, ſive ad Divinum cultum, ſive ad Cleri Populique ſui regimen quomodocumque ſpectantia, ad valvas ipſius Baſilicæ, ſeu reſpectivè in illius Sacrario proponi non interdicimus; ejuſdemque ordinationes atque ſtatuta ſuper præmiſſis, alioquin rite condita & lata, ibidem per eos, ad quos pertinet, obſervari volumus & mandamus.

Permittit ad illius valvas, aut reſpectivè in Sacrario, proponi Edicta Ordinarii, quæ Divinum cultum, vel Cleri, Populique regimen concernunt.

Quod autem ad debitam erga glorioſum Beati Franciſci Corpus Fidelium venerationem fovendam, & magis magiſque aſſerendam, felicis recordationis Prædeceſſor Noſter Clemens Papa VII. per ſuas Litteras ſub Annulo Piſcatoris die xviii. Julii MDXXVI. ad tunc exiſtentem Peruſiæ & Umbriæ Vicelegatum datas, quarum initium eſt -- *Accepimus* -- ſingulis annis in Proceſſione ſolemni, die prima Auguſti ab Eccleſia ejuſdem S. Franciſci ad aliam Sanctæ Mariæ Angelorum ſive de Portiuncula, habendâ, ſervandum decrevit; atque itidem recol. mem. Prædeceſſor quoque Noſter Urbanus Papa VIII. per ſimiles Litteras datas die xxii. Martii anno MDCXLIII. incipientes -- *Domini Noſtri Jeſu Chriſti* -- perpetuò cuſtodiendum voluit & præcepit; Id ipſum Nos quoque, earumdem præſentium tenore, in poſterum perpetuò ſervandum decernimus & jubemus.

Providè ſtatuta circa Proceſſionem Kalendis Auguſti habendam confirmat.

Et quoniam ad venerandum ejuſdem glorioſiſſimi Confeſſoris Tumulum, ejuſque Patrocinii ſuffragia demerenda, atque etiam ut Indulgentiæ quotidia-

Tres alios Pœnitentiarios cum facultatibus ab Innocen. XII. conceſſis adjungit.

tidianæ compotes fiant, frequentes undique Fideles ad præfatam Baſilicam omni tempore confluere dignoſcuntur; Nos opportuna Animarum ſaluti procurandæ ſubſidia augere cupientes, volumus, ut præter tres Pœnitentiarios ibidem ex auctoritate prædicti Innocentii Papæ XII., ut ſupra dictum eſt, conſtitutos, tres alii ejuſdem Ordinis Minorum Conventualium Fratres expreſsè profeſſi, ad hujuſmodi munus idonei, vitaque & moribus conſpicui, per Ordinarium loci examinati, & approbati, a dilecto Filio moderno, & pro tempore exiſtente Miniſtro Generali Ordinis præfati, in dicta Baſilica Pœnitentiarii etiam pro tempore conſtituantur, & deputentur; qui ſic conſtituti, & deputati, omnibus, & ſingulis facultatibus per dictum Innocentium Prædeceſſorem prioribus tribus Pœnitentiariis, ut præfertur, conceſſis, & elargitis, & in præcitatis ipſius Litteris, quarum initium eſt -- *Ex incumbenti* -- datis apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XI. Martii MDCXCIX. latiùs expreſſis, æquè & pariformiter, ex conceſſione Noſtra, & præſentium Litterarum vigore, gaudeant & utantur.

Præterea Fidelium Defunctorum refrigerio & ſaluti per opportunam ſpiritualis Theſauri diſpenſationi Noſtræ concrediti erogationem ampliùs conſulere volentes, quum in præfata Baſilica Altare Majus Eccleſiæ inferioris Omnipotenti Deo in honorem Sancti Franciſci dicatum, a fel. rec. Prædeceſſore Noſtro Gregorio Papa XIII. per Litteras anno Incarnationis Dominicæ MDLXXVII. pridie Idus Octobris ſub Plumbo editas, quarum initium eſt -- *Omnium* *ſalu-*

Privilegium pro omnibus Defunctis Aræ Maximæ Eccleſię inferioris impertitum confirmat.

ſaluti — Privilegio quotidiano ac perpetuo pro Defunctis decoratum extiterit; verùm experientia compertum fuerit, piis confluentium votis, & eleemoſynarum oblationibus, quæ pro Miſſis ad hujuſmodi Altare celebrandis quotidie deferebantur, minimè ſatisfieri poſſe per eum numerum Miſſarum, quæ ſingulis diebus ad illud celebrari valebant; ideoque jampridem a piæ mem. Alexandro Papa VII. conceſſum fuerit, ut quæ Miſſæ ad illud celebrari tunc nequibant, ad alia duo Altaria in Litteris ſuper hoc editis enunciata, pari cum Fidelium Defunctorum ſuffragatione, celebrari poſſent: Nos prædictas Gregorii Prædeceſſoris Litteras præſentium tenore etiam perpetuò confirmantes, ſimili Motu, & auctoritate ſtatuimus, atque concedimus, ut Miſſæ, pro quibus ad præfatum Altare celebrandis eleemoſynas pro tempore offerri contigerit, quæque ad idem Altare re ipſa celebrari nequiverint, ad Altare Majus Eccleſiæ ſuperioris, ex ea videlicet parte, qua illud nequaquam Pontificium Altare eſſe & fore decrevimus: nec non ad tria infraſcripta Altaria in inferiori Eccleſia poſita, nimirum ad Altare Sacrarum Reliquiarùm, & ad alterum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, & ad reliquum Beati Joſephi a Cupertino Confeſſoris, liberè, & licitè celebrari poſſint & valeant; ita ut earumdem Miſſarum oneri perinde ſatisfiat, & ſatisfactum eſſe cenſeatur, ac ſi Miſſæ hujuſmodi ad præfatum Altare primariò Privilegiatum celebratæ forent. Præterea dictum Altare Majus ſuperioris Eccleſiæ, quà Pontificium eſt, ſimili Privilegio decorare volentes, eadem auctoritate

Et in ſupplementum adſignat Aram Majorem non Papalem ſuperioris Eccleſiæ, triaque Altaria inferioris.

Privilegium etiam pro Defunctis tribuit Aræ Ma-

No-

ximæ Papali ſuperioris Eccleſiæ, quoties ex Indulto ibidem celebretur.

Nobis a Domino tradita, concedimus, ut quoties Miſſa ad Altare hujuſmodi, prædictorum Indultorum, aliorumque forſan deinceps ſpecialiter concedendorum vigore, celebrabitur pro Anima cujuſcumque Fidelis, quæ Deo in Charitate conjuncta ab hac luce migraverit, Anima ipſa de Theſauro Eccleſiæ Indulgentiam per modum ſuffragii conſequatur, & Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ, aliorumque omnium Sanctorum meritis ſuffragantibus, a Purgatorii pœnis liberetur.

Prohibet, ne Reliquiæ SS. extrahantur ſub pœna excommunicationis latæ ſententię Romano Pontifici reſervatę.

Ut autem inſignis Sacrarum Reliquiarum Theſaurus, qui in dicta Baſilica, ejuſque Sacrario aſſervatur, & magnam Populorum devotionem erga Sanctuarium hujuſmodi meritò conciliat, integrum inviolatumque permaneat; reſque & memoriæ, quæ ad Sanctum Patriarcham Franciſcum quoquomodo pertinent minimè diſperdantur, aut pereant; Nos dilectis Filiis Cuſtodi & Fratribus Conventus prædicti Sancti Franciſci, nec non ipſius Ordinis Minorum Conventualium Superioribus, etiam Miniſtro Generali, pro tempore exiſtentibus, ſub excommunicationis ſententia eo ipſo incurrenda, cujus abſolutionem, præterquam pro iis, qui in mortis articulo conſtituti fuerint, Nobis, & Succeſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus reſervamus, nec non remotionis ab eorum reſpectivè officiis, aliiſque arbitrio Noſtro, & Succeſſorum prædictorum infligendis pœnis, per præſentes expreſsè interdicimus, & prohibemus, ne quavis cauſa & occaſione, abſque noſtra, & Succeſſorum Noſtrorum prædictorum licentia in ſcriptis tradenda, particulam

aliquam Reliquiarum, ſive ad dictum Sanctum Franciſcum quomodolibet pertinentium, ſive aliarum, quæ in dicta Baſilica, illiuſque Sacrario aſſervantur, extrahere, dividere, & aliis concedere, ac donare, aut pro ſe retinere audeant ſeu præſumant.

Conceſſiones Juriſpatronatus, & Sepulturæ, inconſulto Romano Pontifice, in Baſilica faciendas irritat.

Præterea de ejuſdem Baſilicæ decore, ac libertate plurimùm, ut par eſt, ſolliciti, ſimili auctoritate, ac tenore prædictis Cuſtodi ac Fratribus, & aliis quibuſvis etiam Superioribus, & Miniſtro Generali præfatis, præcipimus, ac diſtrictè prohibemus, ne Juſpatronatus alicujus Altaris aut Cappellæ in eadem Baſilica exiſtentis, neve locum ad Sepulturam ædificandam, ſeu ſcamnum, vel ſedile, aut areæ ſitum ad illud collocandum, aut retinendum intra eamdem Baſilicam, cuilibet Perſonæ, etiam ſpecifica & individua mentione dignæ, aut Familiæ, ſeu Virorum, aut Mulierum cœtui, Congregationi, aut Univerſitati, inconſulto Romano Pontifice pro tempore exiſtente, nec niſi facultate ab eo in ſcriptis pariter obtenta, in poſterum concedent; & quidquid contra hujus præcepti Noſtri formam per eos fieri, aut attentari contigerit, ex nunc irritum, & inane decernimus. Quæ verò ſcamna aut ſedilia jam nunc, ex legitimis juribus, in eadem Baſilica exiſtere, ſeu certis in locis intra eamdem retineri ſolere dignoſcuntur, volumus & jubemus, ut omnia ad æqualem menſuram, & formam reducantur, ſublatis gradibus, & ſuppedaneis quibuſcumque, atque ita per Baſilicæ ſpatia collocentur, ut non deformitatem, ſed potius decorem illi afferant, & ornatum. Per hæc autem ullius Perſonæ,

Scamna ad æqualitatem reduci, & rectè diſponi mandat.

ſonæ, Familiæ, aut Univerſitatis aſſerta jura, ſive Patronatus in ejuſdem Baſilicæ Altaria, & Cappellas, ſive habendi Sepulturas intra eamdem, aut ſcamna, aut ſedilia ibidem retinendi, niſi quatenus legitimis, & ſufficientibus Titulis, aut conſuetudinibus fulciantur, approbare non intendimus.

Externas quoque Porticus, & aream præ foribus utriuſque Eccleſiæ tam ſuperioris, quàm inferioris, nec non adnexi Conventus, in longum latumque protenſam uſque ad locum, qui dicitur *la Cordonata*, & ad Foſſam *Sanctæ Margaritæ* nuncupatam, non ſolùm ab omni moleſtia, & perturbatione liberas, & immunes, pro noſtra & Apoſtolicæ Sedis reverentia, ſervari volumus, & præcipimus; Verùm etiam Eccleſiaſticæ Localis Immunitatis juribus gaudere concedimus, & earumdem præſentium tenore decernimus; Ampliantes quoad hoc felicis recordationis Prædeceſſoris Noſtri Benedicti Papæ XIII, conceſſionem, in Schedula Motus proprii die xx. Decembris MDCCXXVI. ab ipſo ſignata, latiùs expreſſam, eamdemque nihilominus in reliquis ejus partibus confirmantes; Ac decernentes, tam Prædeceſſorum Noſtrorum, Gregorii XIV. ejuſdemque Benedicti XIII. ac Clementis XII. Apoſtolicas Conſtitutiones ſuper Immunitate Locali, quàm Noſtram anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLIX., Idibus Martii, Pontificatus Noſtri anno X. editam, quæ incipit: *Officii Noſtri ratio*, in occurrentibus caſibus ſervandas, & exequendas eſſe. Nos enim Venerabili Fratri moderno, & pro tempore exiſtenti Epiſcopo Aſſiſienſi omnes ad id neceſſarias, & opportunas fa-

Privilegia Immunitatis Localis Areæ ante Baſilicã aliàs conceſſę latiùs extendit.

Tribuit Epiſcopo facultatem extrahendi Reos, obſervata forma Conſt. Apoſt.

Digitized by Google

cultates iiſdem auctoritate & tenore, perpetuò tribuimus, & elargimur.

Confirmat Uniones Monaſterii de Campolongo & Beneficiorum.

Porro quum aliàs memoratus Prædeceſſor Noſter Sixtus Papa IV. conſervationi ſtructurarum ejuſdem Baſilicæ & Domus adnexæ, ac etiam augmento Divini cultus, & ſuſtentationi majoris numeri Fratrum ad illud in ea exercendum a prima erectione deputatorum, proſpicere volens, per ſuas Apoſtolicas Litteras ſub Plumbo datas Aſſiſii anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXVI. octavo Kalendas Septembris, incipientes -- *Venerabilem* -- in Monaſterio olim exiſtente Sancti Nicolai de Campolongo Ordinis Sancti Benedicti. Aſſiſienſis Diœceſis Abbatialem Dignitatem, & Ordinem prædictum, ac nomen ipſum, & Titulum Monaſterii ſuppreſſerit, & extinxerit, illiuſque ſtructuras, ædificia, ac bona omnia; Ac etiam deinde per alias ſimiles Litteras datas Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXVIII. quarto nonas Februarii, quarum initium eſt -- *Applicavimus* -- omnia & ſingula Beneficia Eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura, olim ad collationem Abbatis dicti ſuppreſſi Monaſterii, cum Conventu ejuſdem Monaſterii, vel ſine, ſpectantia & pertinentia, eorumque fructus, redditus, & proventus Sacriſtiæ Domus ejuſdem Sancti Franciſci pro ſupportatione onerum Fabricæ hujuſmodi, & Fratrum in decenti numero ibidem ſuſtentatione, perpetuò applicaverit, appropriaverit, univerit, & incorporaverit, ita ut liceret Cuſtodi & Fratribus prædictæ Domus pro tempore exiſtentibus hujuſmodi Beneficiis, eorumque Eccleſiis,

Cap-

Cappellis , & Altaribus per aliquem etiam ejuſdem Ordinis Profeſſorem , ad eorum nutum amovibilem in Divinis deſerviri facere , ac onera ipſis adnexa; & aliàs Perſonis eadem pro tempore obtinentibus incumbentia , etiam in miniſtratione Sacramentorum perferre & adimplere; Nos hujuſmodi applicationem & unionem , ad effectum præmiſſum , novæ confirmationis Noſtræ munimine roboramus; Ac inſuper inductam a multo jam tempore & actu , ut accepimus, vigentem conſuetudinem , ut ſcilicet ad exercitium curæ Animarum in quatuor Parochialibus, videlicet in una Sancti Petri Caſtri Paradiſi nuncupat., ac in alia Sancti Joannis Baptiſtæ Caſtri Podii ſuperioris , ac in altera ejuſdem Sancti Joannis Baptiſtæ Caſtri Plebis , & in reliqua Sancti Laurentii Caſtri Porciani , nec non in Eccleſia Sanctæ Mariæ de Gualdo nuncupat. mox dictæ Parochialis Sancti Laurentii Subſidiaria, Eccleſiis olim a prædicto Monaſterio dependentibus , totidem Presbyteri Sæculares in illarum Vicarios Curatos pro tempore a prædictæ Domus Cuſtode & Fratribus amovibiliter deputentur, præſentium tenore approbamus, & in poſterum quoque ſervari concedimus ; Mandantes , ut omnes & ſinguli Vicarii Curati hujuſmodi , præter aſſiſtentiam, & obſequium Eccleſiæ Cathedrali Aſſiſienſi in conſuetis Functionibus, & Proceſſionibus ab ipſis præſtandum, Supplicationi etiam in Dominica infra Octavam Solemnitatis Corporis Chriſti ab eadem Baſilica Sancti Franciſci quotannis celebrandæ , in loco ipſis in præfato Cæremoniali aſſignato , intereſſe teneantur.

Approbat cõſuetudinem deputandi in Parœciis dependentibus Presbyteros ſæculares.

Qui , præter obſequia Cathedrali præſtanda , interſint Supplicationi Corporis Chriſti a Baſilica habendæ.

Cæterùm ſæpedicti Conventus Cuſtodi & Fratri-

Commendat Cuſtodi & Miniſtro Generali reparationem & cultum Eccleſiarum dependentium.

tribus, ac etiam præfati Ordinis Miniſtro Generali pro tempore exiſtentibus, harum ſerie injungimus, & enixè commendamus, ut ipſi tam prædictarum, ac etiam Sanctæ Margaritæ intra Aſſiſienſem Civitatem Parochialium, quàm aliarum ab eodem Conventu quacumque ratione dependentium, videlicet dicti Sancti Nicolai de Campolongo, & Sancti Franciſci Parvuli nuncupati intra Aſſiſium, ac Sanctæ Mariæ Conventus Rivitorti, nec non Sancti Joannis Baptiſtæ prope eumdem Rivumtortum, ejuſdemque Sanctæ Mariæ apud Caſtrum Rocchicciolæ ejuſdem Aſſiſienſis Diœceſis, & alterius Sancti Joannis Baptiſtæ extra Muros Caſtri Turris Alfinæ Diœceſis Urbevetanæ, Eccleſiarum conſervationi, ac in eis ſacrarum Suppellectilium manutentioni, diligenter & ſedulò incumbant.

Quinque Parochialibus Eccleſiis, & uni Subſidiariæ concedit Altare Majus certis diebus privilegiatū.

Denique iiſdem Cuſtodi, & Fratribus, in iis præſertim, quæ ad animarum ſalutem referuntur, uberius gratificari, dictaſque Sanctæ Margaritæ in Civitate Aſſiſienſi, & Sancti Petri Caſtri Paradiſi, & Sancti Joannis Baptiſtæ Caſtri Podii Superioris; & aliam ejuſdem Sancti Joannis Baptiſtæ Caſtri Plebis; nec non Sancti Laurentii Caſtri Porciani, Parochiales, ac etiam præfatam Sanctæ Mariæ de Gualdo dictæ Aſſiſien. Diœceſis Eccleſias, a præfato Conventu, ratione unionis a dicto Sixto Papa IV., ut præfertur, factæ dependentes, ſpeciali pro Animabus in Purgatorio exiſtentibus Privilegio illuſtrare volentes; Auctoritate Nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ut quum die

Com-

Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, ac ſingulis diebus infra illius Octavam, ac Feria Sexta cujuslibet hebdomadæ Sacerdos aliquis Sæcularis, vel cujuſvis Ordinis, Congregationis, ſeu Inſtituti Regularis Miſſam Defunctorum pro Anima cujuſcumque Chriſtifidelis, quæ Deo in Charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad Altare Majus dictarum ſex Eccleſiarum celebrabit; Anima ipſa de Theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii Indulgentiam conſequatur; ita ut ejuſdem Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis ſibi ſuffragantibus, a Purgatorii pœnis liberetur, in perpetuum concedimus, & indulgemus: Cujus quidem conceſſionis in ſingulis Eccleſiis hujuſmodi Monumentum lapideum publico aſpectui apponi volumus, & mandamus.

Clauſulæ pro præmiſſorum firmitate.

Decernentes præſentes Noſtras Litteras etiam ex eo, quod quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, vel habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, aut ex alia quavis cauſa de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis Noſtræ, vel quovis alio defectu notari, vel impugnari, ſuſpendi, reſtringi, limitari, vel eis in aliquo derogari nullatenus unquam poſſe; Eaſque omnino ſub quibuſvis contrariis Conſtitutionibus, revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis, vel declarationibus, etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac etiam Conſiſtorialiter, aut aliàs quandocumque, & quibuſvis de cauſis, etiam pro tempore factis minimè comprehendi, ſed ab illis ſemper exceptas, &

quo-

Digitized by Google

quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, ac de novo conceſſas, ſemperque & perpetuò validas, firmas, & efficaces eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, & ſpectabit quomodolibet in futurum perpetuò, & inviolabiliter obſervari, ac prædictæ Baſilicæ & præfati reſpectivè Conventus Cuſtodi & Fratribus nunc & pro tempore exiſtentibus, ac Eccleſiis prædictis aliiſque Eccleſiis, & Perſonis, quarum favorem eædem præſentes quomodolibet concernunt, perpetuis futuris temporibus pleniſſimè ſuffragari debere: Eoſdemque ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque quavis auctoritate quomodolibet moleſtari, perturbari, inquietari, vel impediri, neque ad probationem, ſeu verificationem quorumcumque in eiſdem præſentibus Litteris narratorum, nullatenus unquam teneri, nec ad id in Judicio, vel extra cogi, vel compelli poſſe: Sicque in præmiſſis omnibus cenſeri, ac ita per quoſcumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis auctoritate, & poteſtate fungentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Deputatio Judicum Aſſiſtentium & Executorum.

Quocirca dilectis Filiis Noſtris Henrico Benedicto Mariæ Clementi Baſilicæ Sanctorum Duodecim Apoſtolorum prædictæ S. R. E. Preſbytero Cardinali Duci

Digitized by Google

Duci Eboracenſi nuncupato ; ac Vincentio Tituli Sanctorum Marcellini & Petri ejuſdem S. R. E. etiam Presbytero Cardinali Malvetio nuncupato, eorumque in Baſilica & Titulo hujuſmodi Cardinalibus ſucceſſoribus, nec non Dilecto etiam Filio moderno, & pro tempore exiſtenti Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios ipſas præſentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte pro tempore exiſtentis Cuſtodis dicti Conventus fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eique in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate Noſtra, eaſdem, & in eis contenta hujuſmodi, ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari, dictamque Baſilicam, ac ipſius Conventus Cuſtodem & Fratres aliaſque Eccleſias prædictas illis omnibus, & ſingulis pacificè frui, & gaudere : Non permittentes eos, vel quempiam ex ipſis deſuper per quoſcumque, quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, vel inquietari : Contradictores quoslibet, & rebelles cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis, vel præeminentiæ fuerint, per Sententias, Cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna Juris & Facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo ; ac legitimis ſuper his habendis, ſervatis proceſſibus, Sententias, Cenſuras, & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit auxilio brachii Sæcularis.

Non obſtantibus, quatenus opus ſit, Noſtra, & Can- *Derogatio contrariis.*

Cancellariæ Apoſtolicæ Regula, de Jure quæſito non tollendo, & Bonifacii VIII. etiam Prædeceſſoris Noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem vel Diœceſim ad Judicium evocetur, ſeu ne Judices a Sede Apoſtolica prædicta deputati extra Civitatem vel Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere audeant vel præſumant, & in Concilio generali edita de duabus Dietis, dummodo ultra tres Dietas aliquis auctoritate præſentium ad Judicium non trahatur, nec non præmiſſis, aliiſque Apoſtolicis aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum pariter Prædeceſſorum Noſtrorum, ac etiam in Synodalibus, Provincialibus, & Univerſalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus, nec non majoris Eccleſiæ, & Civitatis Aſſiſien., dictique Ordinis Minorum Sancti Franciſci, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus: Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis, quibuſvis Perſonis, Civitatibus, & Locis per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros, Sedemque prædictam ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, etiam Motu, Scientia, & poteſtatis plenitudine, ſimilibus etiam iteratis, & multiplicatis vicibus conceſſis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indi-

Digitized by Google

individuâ, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, vel aliqua alia forma ad hoc ſervanda foret, eorum tenores, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad effectum validitatis, & perpetuæ firmitatis præmiſſorum omnium, & ſingulorum, hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter, aut diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, niſi per Litteras Apoſtolicas facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem.

Fides habenda Tranſumtis.

Ad hoc autem, ut præſentes Noſtræ Litteræ ampliùs innoteſcant, & de eis fides commodè fieri poſſit; volumus, quòd ipſarum tranſumtis etiam impreſſis, manu Cancellarii ſeu Archiviſtæ dicti Conventus, ſeu cujuſvis Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo ejuſdem Conventus vel alicujus Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus ubique fides in Judicio, & extra illud adhibeatur, quæ iiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Sanctio Pœnalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtræ Approbationis, Confirmationis, Conſtitutionis, Erectionis, Interdicti, Prohibitionis, Statuti, Conceſſionis, Indulti, Mandati, Decreti, Derogationis & Voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Digitized by Google

Dat. Pont. Anno XIV. die 25. Martii 1754.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto, octavo Kalendas Aprilis Pontificatus Noſtri anno Quartodecimo.

J. Card. Pro-Datarius. D. Card. Paſſioneus.

VISA

De Curia J. C. Boſchi.

Loco ✠ Plumbi.

I. B. Eugenius.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Noſtri JESU CHRISTI Milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimoquarto, Indictione ſecunda, die verò ſexta menſis Aprilis, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Dñi Noſtri Dñi BENEDICTI *Divina Providentia* PAPÆ XIV. *anno decimoquarto, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Franciſcum Bartolotti Apoſt. Curſ.* Antonius Beſani Mag. Curſ.



BENE-

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmani Pontifices Prædeceſſores Noſtri, ſive qui Sanctum Franciſcum Aſſiſienſem Ordinis Fratrum Minorum Fundatorem, Catholicæ Fidei decus, & Sacroſanctæ Eccleſiæ columen, quemadmodum ipſe collabentem Lateranenſem Baſilicam ſuis humeris ſuſtinere fel. record.

Digitized by Google

cord. Innocentio PP. III. Prædeceſſori itidem Noſtro viſus eſt, in terris noverant, & cum eo converſati fuerant; ſive qui fulgentem in Cœlis tanquam Stellas in perpetuas æternitates ob innumerabilia ſigna & prodigia plurimi ſemper fecerant, magnoque in honore habuerant; omnem operam ſtudiumque adhibuerunt, ut non ſolùm Eccleſia in Colle Paradiſi deinde dicti extra mœnia Civitatis Aſſiſii, in qua ſacra ipſius pignora recondita recoluntur, magnificentiſſimè fundaretur, dignis ornamentis decoraretur, atque omnibus Sacris Supellectilibus inſtrueretur; verùm etiam ampliſſimis Apoſtolicæ poteſtatis benignitatiſque Privilegiis, Indultis, Prærogativis, & Cœleſtium munerum Theſauris locupletaretur. Inter cætera autem eidem Eccleſiæ Aſſiſienſi, quæ in Dei honorem ſub invocatione ejuſdem Sancti Franciſci dicata eſt, impertita decora non minimum illud reputatur, ut

nimi-

Digitized by Google

nimirum Eccleſia ipſa nulli, niſi Romano Pontifici pro tempore exiſtenti eſſet ſubjecta, & Ordinis, cujus Inſtitutor & Pater extitit Sanctus Franciſcus, Caput haberetur & Mater. Porro laudatam Eccleſiam Aſſiſienſem ex hujuſmodi immediatæ Romano Pontifici ſubjectionis honore a fel. recordat. Gregorio PP. IX. pariter Prædeceſſore Noſtro inſignitam, atque a rec. mem. Innocentio PP. IV. itidem Prædeceſſore Noſtro ſub ſua & Beati Petri protectione etiam ſuſceptam, aliiſque innumeris Apoſtolicæ liberalitatis, auctoritatis, munificentiæque documentis per alios Romanos Pontifices Prædeceſſores Noſtros, ac per Nos ipſos collatis magis magiſque adauctam & decoratam per alias Apoſtolicas Noſtras ſub Plumbo hac ipſa die expeditas literas, quarum initium eſt : Fidelis Dominus: *in quibus omnia rationum momenta, quibus adducti ſumus, fuſius explicantur & continentur, ereximus & conſti-*

tui-

tuimus in Baſilicam Patriarchalem & Cappellam Papalem, ac talem ex nunc in futurum perpetuò eſſe & fore decrevimus; Eamque Baſilicam Patriarchalem & Cappellam Papalem æquè ac pariformiter nuncupari & haberi voluimus, atque aliæ Noſtræ Baſilicæ Patriarchales de hac Alma Urbe Noſtra & extra ejuſdem mœnia; necnon Cappellæ Papales in Pontificiis Ædibus & prope eas conſtitutæ appellantur atque cenſentur. Ut autem ob præmiſſa in ipſis noſtris literis contenta deinceps perpetuis futuris temporibus nulla quoad Ritus & Cæremonias in memorata Baſilica ſervandas ſuboriri & emergere poſſent inordinationum confuſionumque indecora diſſidia, ac nulla Divini cultus detrimenta; mandavimus, ut multiplices Leges & Regulæ in unum colligerentur. Haſce ſanè peculiari inſtructione digeſtas, accuratè a Nobis expenſas & approbatas, atque in Volumen

Cære-

Digitized by Google

Cæremoniale inſcriptum redactas, quemadmodum per eaſdem Noſtras literas approbavimus & confirmavimus, quo firmius ſubſiſtant & ſerventur exactius, hiſce Noſtris in forma Brevis literis inſerimus. Sunt autem tenoris ſequentis:

CÆREMONIALE
BENEDICTI XIV. PONTIFICIS MAXIMI
JUSSU EDITUM
PRO BASILICA ASSISIENSI SANCTI FRANCISCI
IN PATRIARCHALEM ET CAPPELLAM PAPALEM ERECTA.

CAPUT I.

BENEDICTUS PP. XIV. *Baſilicam Aſſiſienſem S. Franciſci in Patriarchalem, & Cappellam Papalem erigit.*

ASSISIENSEM Baſilicam Ordinis Minorum Caput, & Matrem toto terrarum Orbe celeberrimam, in qua conditum glorioſum Sancti Franciſci Corpus eximia religione colitur, Summus Pontifex BENEDICTUS XIV. quum Apoſtolicis ſuis Litteris in Patriarchalem erexerit, veramque inſuper, propriam, & realem Cappellam ſuam conſtituerit, ac declaraverit;

Digitized by Google

verit; & in ea Aras Maximas illa ex parte, quâ ad Pontificium Solium vergunt, in inferiori æquè, & in ſuperiori Eccleſia exiſtentes, ſanctiſſimè, & optimè Papales decreverit; iis honoribus, prærogativis, & privilegiis perpetuò inſignivit, quibus ipſius Patriarchii, ſeu Palatii Apoſtolici Romani Pontificis, & omnes Almæ Urbis Patriarchales Eccleſiæ decorantur. Ut autem perſpecta, acceptaque magis ſit ſingularis hæc, & præclara Beneficentiſſimi Pontificis pia Munificentia, & novæ huic Sacroſanctæ Patriarchali Eccleſiæ perennis, & conſtans exhibeatur veneratio; quo etiam tempore, & a quibus Perſonis vel ſolemniter, vel privatè in iis Aris poſſint Sacra celebrari, non ſolùm in his Capitibus exprimitur; verùm etiam Ritus, & Cæremoniæ, quæ veluti firmæ Leges ad amuſſim ſemper erunt ſervandæ, & in poſterum retinendæ, mox præſcribuntur.

CAPUT II.

Quando, quoties, & a quibus Miſſa celebrari poſſit in uno, ſive altero Altare Papali Patriarchalis Aſſiſienſis tam in inferiori, quàm in ſuperiori Eccleſia.

QUamquam ob debitam Pontifici Maximo reverentiam nemini liceat abſque ejus ſpeciali Indulto Miſſam in Altare Papali celebrare; attamen quum ad religioſi cultus incrementum potiſſimè deceat, ut in omnibus dicatis Aris placabilis Ho-

Digitized by Google

Hoſtia Æterno Deo offeratur; Benedictus Papa XIV. certos deſignavit dies, certaſque ſelegit Perſonas, quæ in Altaribus Papalibus Patriarchalis Aſſiſienſis Sacris operari valeant. In inferiori autem, & in ſuperiori Eccleſia eximio Altaris Papalis Privilegio ditatur illa tantùm pars Aræ Maximæ, quæ Solium reſpicit Pontificium.

Præter Sacri Conventus Cuſtodem, qui ſuper uno, alteroque Papali Altare celebrare poſſit, eæ recenſentur infra Perſonæ, quibus ſpecioſum hoc tribuitur Privilegium. Et primò Sacri Conventus Cuſtos ſolemniter celebrare poterit ſuper Altare Papale inferioris Eccleſiæ in Sacratiſſima Domini Noſtri Jeſu Chriſti Nativitatis Nocte, & in tertia hujus diei Miſſa. Item in Epiphania Domini, Feria V. in Cœna Domini, Dominica Reſurrectionis, Feſto Aſcenſionis, Dominica Pentecoſtes, & in Feſtivitate Conceptionis B. M. V. juxta Decretum a Pontifice Maximo Benedicto XIV. editum in Conſiſtorio Secreto diei 26. Novembris 1742. tenoris ſequentis:

„ Ceſſabunt Sacræ Miſſiones pridie Feſtum Con-
„ ceptionis Virginis Immaculatæ, in quo ſolemni
„ die Nos Cappellam Pontificiam in Liberiana Ba-
„ ſilica haberi volumus. Quod quidem non hoc an-
„ no tantùm, ſed ſingulis quibuſque annis fieri man-
„ damus, ac præcipimus, ut Cappella hæc Pontifi-
„ cia in honorem Immaculatæ Virginis quotannis ce-
„ lebranda ceteris adnumeretur; ut nimirum ipſa
„ Beatiſſima Virgo a Deo pro Nobis implorare di-
„ gnetur, quod petimus; ſuoque patrocinio non mi-

 „ nus

Digitized by Google

„ nus Catholicam Religionem, quàm hanc Apoſtoli-
„ cam Sedem benignè tegere velit, ac fovere.

Miſſam pariter ſolemnem cantabit Cuſtos in nocte S. Franciſci Feſto prævia, & ſequenti ejuſdem Feſti die; ita tamen, ut unam Cuſtos per ſe, alteram alius ab eodem Cuſtode electus, & ſuffectus celebret. Item in Solemnitate omnium Sanctorum, in Anniverſario Dedicationis Eccleſiæ, & in anniverſaria Creationis, & Coronationis Summi Pontificis memoria. Solemni quoque ritu Sacrum faciet in altero Papali Altare ſuperioris Eccleſiæ ſecundo Pentecoſtes feſto die, in Feſtis Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Almæ Urbis Principalium Patronorum, Aſſumtionis B. V. M., & Impreſſionis Sacrorum Stigmatum S. Franciſci; Tandem in Dedicatione S. Michaelis Archangeli Univerſalis Eccleſiæ Patroni.

His dumtaxat in Solemnitatibus Sacri Conventus Cuſtos in gemina Ara Papali poterit celebrare ſolemniter; addita facultate, ut ſive Epiſcopum Aſſiſienſem, ſive exteros alios Antiſtites, ſive alias Eccleſiaſticas Perſonas pro ſe conſpicuo hoc in munere ſubſtituat: eidemque Aſſiſienſi Antiſtiti ad ſui libitum poteſtas ſit celebrandi ſine ſolemnitate ſemel in anno ſuper una, alteraque ex Papalibus Aris.

Majori Privilegio donantur S. R. E. Cardinales, pietatis causâ pretioſas S. Franciſci Exuvias veneraturi, Aſſiſium adeuntes, quibus toto tempore, quo ea in Civitate permanſerint, ter in utroque Baſilicæ Altare Papali celebrandi honor attribuitur.

Patriarchæ ſemel quotannis in gemina Ara Papali cele-

celebrabunt; Archiepiſcopi verò, & ceteri Epiſcopi exteri, Miniſter Generalis Ordinis Minorum Conventualium, Generales quoque aliorum Ordinum, Romanæ Aulæ, & Curiæ Prælati, Almæ Urbis Patriarchalium Canonici, Abbates itidem Regulares Monaſteriorum utriuſque Patriarchalis Baſilicæ S. Pauli, & S. Laurentii extra Romæ muros, Abbas Sacri Monaſterii Montis Caſſini, Abbates denique Sanctæ Sedi Apoſtolicæ medio nullo ſubjecti, & ii, qui juriſdictionem habent quaſi Epiſcopalem, ſemel dumtaxat ſingulis annis in una, ſive altera Papali Ara hujuſmodi gaudeant Privilegio.

Indumenta Miſſalia nunquam a Papali Altare, ſed ex Abaco, & quidem ex Apoſtolica benignitate deſumant ſolummodo S. R. E. Cardinales, & Epiſcopi. Illi verò, qui Epiſcopali charactere ſunt deſtituti, ſacra Paramenta veſtiant in Baſilicæ Sacrario. Inſtrumentum quoque luminis non adhibeant univerſi, exceptis S. R. E. Cardinalibus, quibus hujuſmodi honor, atque uſus libri Canonis tribuitur ex Summi Pontificis Beneficentia, & Privilegio; addita quoque facultate utendi Genuflexorio cum tapete, ac binis pulvinaribus, uno ad genua, altero ad brachia coloris rubri, vel violacei juxta Divinorum Officiorum ordinem. Epiſcopis autem liber Canonis in Miſſa, & unicum pulvinar ad genua ſuper infimum Altaris gradum conceditur.

Extra ſuperiùs enumeratos dies nullæ celebritates, nullaque Sacra in Altare Papali peragantur. Di-

vina

Digitized by Google

vina tàmen Hebdomadæ Majoris Officia quàm maxima fieri poterit dignitate, ac Rituum excellentia in Ara non Papali, ad inſtar Patriarchalium Almæ Urbis, abſolventur; & Feria VI. in Paraſceve ad Redemtionis noſtræ myſteria intenſiùs recolenda, & ad vividiùs in Fidelium mentibus Dominicæ Paſſionis memoriam excitandam, poſt Sacratiſſimæ Crucis denudationem, ejuſdem Adoratio in Altare Papali erit explenda.

CAPUT III.

De Epiſcopi Aſſiſienſis ad Baſilicam privato acceſſu, & quomodo ipſe in Baſilica ſe gerere debeat.

SI velit unquam Epiſcopus Aſſiſienſis ſuæ pietatis causâ, brevi uſuali habitu ad S. Franciſci Patriarchalem Baſilicam procedere, ſolùm per Cœnobii, non autem per Baſilicæ portam, prætermiſſo quocumque Religioſorum occurſu, introibit. Luſtralem aquam poſtquam ab aliquo ex ſuis Familiaribus dexterâ ſumſerit, ſupra pulvinar a famulo in Sacrario acceptum, & in decenti, ſed ſeparato Baſilicæ loco diſpoſitum genuflexus orabit, per eandem, qua venerat, viam poſtea diſceſſurus. Eodem quoque modo ſe geret Epiſcopus, ſi eo habitu indutus Miſſæ Sacrificio quandoque adſit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Epiſcopus Aſſiſienſis a Religioſis invitatus, quem habitum induere debeat. Quomodo excipiendus. Quæ pro illo paranda ſint in Eccleſia etiam quando accedit non invitatus, & præſertim quando audit Miſſam lectam, & ſponte adeſt pio Exercitio, dicto: Corda Pia.

EPiſcopus a Religioſis invitatus adventus ſui nuncium opportunè præmittet. Ex Summi Pontificis conceſſione violaceam Togam, Mozzettam, & oblongum Pallium veſtiet, ab aliquibus Religioſis ad Cœnobii portam, per quam intrabit, excipiendus. Ab iiſdem intra Baſilicam deducetur, illorum digniore Aſperſorium per contactum miniſtrante. Ipſe autem per Eccleſiam incedens, ea omnia ſervabit, quæ ſequenti cap. 5. ſtatuuntur. Poſtmodum genuflexus orabit ſupra pulvinar violaceum in infimo Altaris gradu pridem diſpoſitum; precibuſque completis, ad portam uſque Cœnobii ab iiſdem Religioſis comitabitur.

Quòd ſi non invitatus, ſed privatæ, & particularis ſuæ religionis causâ aliis quoque vicibus velit ad Eccleſiam pergere oraturus; & violaceas, ut ſupra, Veſtes non tantùm induerit, ſed etiam acceſſus ſui nuncium comiter ad Religioſos præmiſerit; ei obviam aliqui ex iiſdem ad portam Cœnobii exibunt. Per contactum exhibebitur Aſperſorium Epiſcopo, qui nuper relato modo genuflexus orabit.

Si

Si Miſſam in Ara Maxima non Papali ſuperiùs memorato indutus habitu erit auditurus, ex ſpeciali Summi Pontificis Privilegio cum duobus pulvinaribus ad brachia, & ad genua in Stallo Chorali genuflectet. In ceteris verò Baſilicæ Sacellis ex Apoſtolico pariter Indulto Genuflexorium nudum cum binis pulvinaribus pro eo Sacra tantùm in hac Actione locabitur. Prætermiſſo Evangelii oſculo Pacem cum Inſtrumento recipiet; ſed dandæ Benedictionis venia eidem a Celebrante non petetur.

Quum autem in Baſilica ſingulis menſis Martii ſextis Feriis, aliiſque diebus per annum ſupplicabundo ordine Cœnobitæ ad Sacellum D. N. J. C. Crucifixi procedant, Rithmum nuncupatum *Corda Pia*, unà cum pluribus ſacris precibus decantantes; cui Exercitio Epiſcopus quandoque adeſſe ſolet, Mozzettâ, & oblongo Pallio amictus intererit, Religioſis quibuſdam obviam euntibus ad portam Cœnobii. Pro eo violaceum pulvinar ſupra infimum Altaris gradum lateralem in cornu Epiſtolæ apponetur, ſuper quo genuflectat, Clerico Cœnobita ligneam proceſſionalem Crucem ſuſtinente in cornu Evangelii.

Si verò Epiſcopus invitatus, vel ſponte Completorio, aliiſque Divinis Officiis intererit, in Choro ipſe aderit; & in Stallo duo pulvinaria, unum ad brachia, alterum ad genua ex Privilegio, ut ſupra, apponentur. At pro S. R. E. Cardinalibus primum Stallum Chorale cum tapete, & duobus pulvinaribus ex Privilegio itidem ſternetur, & in eorum acceſſu ad Baſilicam Organa pulſari permittitur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

De Epiſcopi Aſſiſienſis acceſſu ad Baſilicam pro auſcultandis Concionibus. De ingreſſu in eandem Baſilicam. De uſu Cappæ, & Rocchetti diſcooperti. De omiſſione Benedictionum in Eccleſia, & Aſperſionis cum aqua luſtrali.

AD auſcultandas Conciones Epiſcopus progrediens, ſive ſit invitatus, ſive non, ſui acceſſus nuncium tempeſtivè præferri non omittet. Ipſe autem in utroque, etſi diſpari caſu, eodem excipietur obſequio. Obviam procedent nonnulli Religioſi, & poſtquam ſupra Baſilicæ limen Mozzettâ depoſitâ, ex Privilegio Cappam induerit, tanget Aſperſorium a Religioſorum digniore porrectum. Tum priuſquam ad Reſidentiæ ſuæ locum pergat, ante Aram Principem, in qua reconditur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, procumbet in Genuflexorio nudo, binis tamen ex Summi Pontificis Privilegio inibi coloris violacei laneis pulvinaribus, uno ad brachia, ad genua altero diſpoſitis.

In incedendo per Eccleſiam Epiſcopus neque poſteriores talaris veſtis, neque Cappæ fimbrias a Caúdatario Familiari elevari permittet, ſed ipſemet Cappam complicatam ſub ſiniſtro brachio geſtabit, quam Cappellanus Caudatarius explicabit ex Apoſtolico Indulto, quum Epiſcopus erit apud Faldiſtorium;

rium, Reſidentiæ ſuæ locum. Hoc ſiquidem abſque Dorſuali in Patriarchali Aſſiſienſi pro Sede aſſignatur Epiſcopo, innixum ſupra ſuppedaneum cum tapete.

Concionator Suggeſtum aſcendet, quin ad oſculandum manum Epiſcopi, & ad eundem pro benedictione petenda accedat; ſed ante inceptam Concionem, & poſt primam periodum, peculiarem & profundam exhibebit ipſi Epiſcopo reverentiam, quam eâ expletâ repetet.

Quum Supremus Chriſti Vicarius, & Catholicæ Eccleſiæ Caput Aſſiſienſem Baſilicam, ut jam dictum eſt, in Patriarchalem, & Cappellam Papalem erexerit, hoc ſemper in ea inconcuſsè ſervabitur. Quocumque tempore, ſive publicus, ſive privatus habeatur ab Aſſiſienſi Epiſcopo ad eandem Baſilicam acceſſus, ipſe luſtralem aquam per ſimplicem Aſperſorii contactum ſumet, neminemque aſperget, & a Benedictionibus cum dextera dandis ſemper abſtinebit. Inſuper tunc ei patebit per Baſilicæ portam ad illam ingreſſus, quum ad ſolemnes Functiones peragendas invitatus, & ad Miſſam lectam vel ſponte, vel invitatus celebrandam accedens, Rocchettum diſcoopertum cum Mozzetta induet; quo veſtis genere idem Aſſiſienſis Epiſcopus tantummodo intra prælaudatam Baſilicam utetur, ex ſpeciali Indulto a Summo Pontifice attributo: hac tamen adjecta lege, ut ſi quis ex S. R. E. Cardinalibus adſit in præfata Baſilica, ſeu ejus acceſſus ad illam habeatur notitia, ea Epiſcopus omnino ſervet, quæ in Libro primo

Digitized by Google

primo Cæremoniali Epiſcoporum cap.4. Diœceſano Epiſcopo demandantur. Ceterarum autem Eccleſiarum Prælati, Patriarchæ videlicet Rocchettum, Mantellettum, & Mozzettam induent; Archiepiſcopi verò, & Epiſcopi exteri Rocchettum Mantelletto coopertum, ſed abſque Mozzetta geſtabunt.

CAPUT VI.

Quid agendum cum Epiſcopo ad Theſes, aliaſque Scholaſticas Exercitationes invitato.

DIſputationibus publicis, Accademiis, Magiſterii Inſignibus alicui Religioſo conferendis, aliiſque Scholaſticis Exercitationibus, quæ intra Baſilicam peragentur, Epiſcopus interfuturus, aderit violaceâ Togâ, Mozzettâ, & oblongo Pallio amictus; & ſedebit in Sede Camerali ſericis cultâ ornamentis, ac ſuppedaneo ligneo tapete aliquo cooperto ſuperpoſitâ. Locus hujuſmodi Exercitationum erit in ima parte Baſilicæ prope Sacellum a claræ memoriæ Cardinali Ægidio Albernotio conſtructum; ubi pro præclaris, qui aderunt, Viris parari etiam poterunt Sedes Camerales Epiſcopi Sede convenienter deteriores. Sedes autem Epiſcopi in medio ante Sacelli ingreſſum collocabitur, & Altare, ob debitam reverentiam, ſericis telis obtegetur. At ſi Theſes, aliæque Exercitationes Summo Pontifici, Imperatori, aut Regibus nuncupentur, in media Baſilicæ

navi habebuntur; quibus ſi Epiſcopus Aſſiſienſis aſſiſtat, induet ex peculiari Pontificis Maximi Privilegio Rocchettum diſcoopertum cum Mozzetta.

CAPUT VII.

De Epiſcopo Aſſiſienſi Miſſam lectam tum in Altaribus Papalibus, tum in minoribus Baſilicæ Aris celebrante; nec non de aliis Prælatis, & etiam de S. R. E. Cardinalibus, ſi fortè ad Baſilicam celebraturi accedant.

EPiſcopus ſive invitatus, ſive ſponte accedat ad Baſilicam, Miſſam planam celebraturus, excipietur a nonnullis Religioſis, ut ſupra, in porta Eccleſiæ, præmiſſo ſui adventus nuncio. Si Sacrum faciat in Altare Papali juxta Indultum, de quo ſupra cap.2., præparatorias recitabit preces genuflexus ſupra pulvinar in infimo gradu locatum. Miſſales Veſtes ab Abaco, non autem ab Altari deſumet; quod ex Privilegio conceditur non ſolùm ipſi Epiſcopo Aſſiſienſi, ſed etiam S. R. E. Cardinalibus, & aliis exteris Epiſcopis: nemini ſiquidem licet Veſtes ſacras deſumere apud Altare Papale. Inſtrumento luminis non utetur, ſed tantùm Canonis libro, & talaris veſtis Syrma non protendet. Argenteo urceolo cum bacili ad lotionem manuum ei aqua miniſtrabitur, & Miſsâ expletâ, Sacra Indumenta in Abaco depo-

Digitized by Google

deponentur. Ipſe tandem in infimo Altaris gradu genuflexus gratias Deo de more reddet.

Sin autem in minori aliquo Baſilicæ Sacello Sacris operetur, præparatorias preces, & gratiarum actionem perſolvet genuflexus in infimo Altaris gradu. Sacras Veſtes ab eodem Altari capiet. Inſtrumentum luminis adhibebit, & poſteriorem veſtis partem, ut in terram defluat, ad majeſtatem Cappellanus Caudatarius diſſolvet. In utraque autem celebrandæ Miſſæ occaſione, ſive in Altaribus Papalibus, ſive in minoribus Sacellis Sacri Conventus Religioſi Cottis induti eidem Epiſcopo inſervient.

Aliarum quoque Eccleſiarum Prælatos Sacri Conventus Religioſi pari honore proſequi poterunt in Miſſæ lectæ celebratione in ſingulis Baſilicæ Aris, etiam in Papalibus. Ipſi autem Prælati in infimo Altaris gradu genuflexi Miſſæ preces recitabunt. Verùm pro S. R. E. Cardinalibus quandocunque, & ubicunque Genuflexorium rubro, vel violaceo tegmine ornatum juxta Feſtorum, & Eccleſiæ tempora apponetur, binis ſuperadditis pulvinaribus; & iiſdem S. R. E. Cardinalibus, ex Summi Pontificis Privilegio, etiam in Altaribus Papalibus uſus Canonis cum Inſtrumento luminis conceditur.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De Miſſa , & Veſperis ſolemniter in Ara Papali decantandis ab Epiſcopo Aſſiſienſi , aliiſque Epiſcopis a Cœnobii Cuſtode invitatis . De pulſatione Campanarum . De Religioſis , aliiſque Miniſtris Sacris Epiſcopo inſervientibus, ac de Reſidentia Magiſtratus Aſſiſienſis , & de agendis cum eodem Magiſtratu .

PRo Miſſa , ſeu Veſperis ad Aram Papalem decantandis , in ſolemniori aliquo ex Feſtis ſuperiori cap.2. deſignatis Aſſiſienſis Epiſcopus invitatus, excipietur a compluribus Cœnobitis intra Baſilicæ portam ſine ſonitu Campanarum , quæ nunquam quavis occaſione , & quarumcunque Perſonarum tam Eccleſiaſticarum , quàm ſæcularium intuitu , ſed in generalibus ſolummodo utriuſque Cleri Supplicationibus pulſabuntur, præter conſueta tempora ad Eccleſiæ Solemnitates , & Divina Officia indicanda .

Pulſabuntur itidem in Sabbato Sancto ad Hymni Angelici intonationem in ſolemni Miſſa independenter ab Eccleſia Cathedrali ; ita tamen , ut nec ipſa Cathedralis , neque aliæ Civitatis Eccleſiæ a pulſatione Campanarum Baſilicæ Patriarchalis dependeant .

Digitized by Google

Ad Baſilicæ fores Epiſcopus Aſſiſienſis Mozzettâ depoſitâ Cappam induet, quam complicatam ſub ſiniſtro brachio ſibi geſtabit uſque ad Sacrarium; prout Cappellanus Caudatarius poſteriorem veſtis fimbriam ei per Eccleſiam non elevabit. In Sacrario autem Caudatarius Cappam explicabit, & veſtis caudam diſſolvet, quam Miſſalibus Paramentis induto Epiſcopo attollet uſque ad Presbyterium, ibique deponet. Hujuſmodi verò Cappæ uſus Epiſcopo ſoli Aſſiſienſi, non verò ulli alii, quicumque is ſit, Sacro Antiſtiti conceditur.

Ubi fuerit Cappâ indutus, luſtralem aquam accipiet a digniori Cœnobita per Aſperſorii contactum, & ad Sanctiſſimi Sacramenti Sacellum procedet oraturus in Genuflexorio nudo jam præparato, ſed binis inſtructo pulvinaribus violaceis inferiùs, & ſuperiùs, & inde Sacrarium comitatus adibit.

In omnibus Solemnitatibus, in quibus Miſſa, & Veſperæ, ſive a S. R. E. Cardinalibus, ſive ab Epiſcopis, & a quibuſcunque aliis Eccleſiaſticis Perſonis in Altari Papale decantantur, opportunum erit, ut Sanctiſſimum Sacramentum ab utraque Ara Principe ſummo mane reverenter amoveatur, & in aliquo ex minoribus Sacellis ad Baſilicæ dexteram decenter ornato collocetur.

In præfato Sacrario tum pro Epiſcopo Aſſiſienſi, tum pro aliis exteris Epiſcopis quibuſcumque, ſupra tapetem ſine Suppedaneo diſpoſita erit Sedes Cameralis, in qua ipſe aſſidens, præparatorias Miſſæ preces perleget ex Canonis libro, benignè eidem con-

Digitized by Google

conceſſo etiam in Altari . Stabunt autem hinc inde Diaconus, & Subdiaconus ſacris Veſtibus induti; & in alas conſiſtent alii Cœnobitæ , qui in ſecreto Sacrario Superpellicea, & Bireta opportunè deſumſerant.

Induet interim Epiſcopus caligas, & ſandalia; Cappam deponet, manus lavabit, Pontificalibus induetur Veſtibus, Mitram ſumet, incenſum ponet in Thuribulo , Cruci Baſilicæ ſe inclinabit , & mitratus ad Altare procedet . Is autem erit incedendi ordo.

In univerſis ſolemnibus Sacris Actionibus intra, & extra Baſilicam peragendis , & quibus Cœnobitæ cum Cottis interſunt, viam ſemper ſternent duo Æditui Sago laneo violacei coloris uſque ad talos amicti, præaltos Baculos, Baſilicæ Stemmate in iis appoſito; deferentes, ac medium habentes Baſilicæ Manſionarium Penulâ itidem violaceâ cum ſericis rubris faſciis indutum , qui ſpecioſiorem Baculum villoſo rubro coopertum , argenteoque Baſilicæ Stemmate in ſummitate exornatum dexterâ gerat . Poſt hos ſuccedet Thuriferarius , & inde Crux Baſilicæ inter Ceroferarios a Clerico cum Cotta delata . Ii autem tres Baſilicæ inferiores Miniſtri in Proceſſionibus , quæ extra Baſilicam peragentur , poſt Papilionem incedent ; at in functionibus , quæ intra Baſilicam fient , ante Crucem incedentes , prope Presbyterii oſtium ſeorſim conſiſtent ; ibique Sacrâ Actione expletâ præſtò erunt, Clerum Baſilicæ in Sacrarium reducturi.

Poſt

Digitized by Google

Poſt Patriarchalis Baſilicæ Crucem venient Religioſi cum Cottis, Bireta Clericalia manu tenentes, qui rectâ pergent ad Presbyterii Subſellia aulæis cooperta, Cruce poſitâ in cornu Evangelii extra Altaris gradus, & Candelabris in Abaco relictis.

Poſt Cœnobitas adveniet ſolus Presbyter Aſſiſtens cum Pluviali, & tandem procedet Epiſcopus inter Diaconum, & Subdiaconum. In præclaro hoc Miniſterio ſemper inſervient Sacri Conventus Religioſi, qui Biretis utentur, & in reverentiis peragendis tum Altari, tum Epiſcopo ſe profundè inclinabunt; idemque ſervabunt Cœnobitæ locum habentes in Presbyterio. Miniſtri autem inferiores Crucem cum genuflexione, Epiſcopum cum profunda inclinatione ſalutabunt.

Septimum Candelabrum in Altari non apponetur, quocumque in magna etiam Dignitate conſtituto celebrante; prout candelæ accenſæ Inſtrumentum, & Baculum Paſtoralem non adhibebit, iis tantùm exceptis Eccleſiaſticis actionibus in libro Pontificali deſcriptis, ſi prævià Summi Pontificis facultate hujuſmodi fortè exercuerit Pontificalia.

In iis Solemniis ſive Epiſcopus, ſive aliquis S. R. E. Cardinalis celebret, Faldiſtorio ſemper utetur ante extremitatem anteriorum Altaris graduum in cornu Epiſtolæ poſito ſupra Suppedaneum, quod altitudine infimum ejuſdem Altaris gradum exæquet. Quòd ſi Celebrans Epiſcopali charactere præſtet; viridi, vel alio colorato panno, non tamen violaceo,

obtegetur ; violaceum ſiquidem apponetur tegmen juxta temporum, & Officiorum varietatem. Celebrante autem in ſolemnibus Feſtivitatibus aliquo S.R.E. Cardinali, Suppedaneum rubro, vel verſicolori nobiliori tapete exornabitur.

Sacris Miniſtris locus dabitur in anterioribus Altaris gradibus, itaut Presbyter Aſſiſtens ſedeat Epiſcopo proximior, ſuccedat inde Diaconus, tandem Subdiaconus.

Pro Religioſis, ſeu Clero Baſilicæ, qui in inferiori Eccleſia Sacræ Rei interſunt, conſtruetur Presbyterium cum Scamnis habentibus Poſtergale altitudinis trium palmorum. Eadem Scamna aulæis cooperta initium ſument prope ultimum dexterum Solii Pontificii gradum cum ſimilibus Scamnis ex altera adverſa parte appoſitis, quæ in Tetragoniſmum, vel quadratam formam deſinant, & quorum Suppedaneum conſtet duorum palmorum latitudine, altitudine autem infimum Papalis Solii gradum æquet.

In Eccleſia verò ſuperiori Religioſi locum ſument in Stallis Choralibus. At ſive in Presbyterio, ſive in Choro ſtent, alternatim facient in principio Miſſæ Confeſſionem, debitiſque temporibus dicent *Kyrie*, Hymnum Angelicum, *Credo*, *Sanctus*, & *Agnus Dei*.

Ut externus Baſilicæ apparatus majoribus Solemnitatibus undecunque reſpondeat, in inferiori Eccleſia integri Presbyterii area, & in ea diſpoſitorum Sedilium gradus pannis viridibus obtegetur. In ſuperiori autem Eccleſia totum Chori pavimentum ſimilibus pannis uſque ad Altaris gradus operietur, &

ſumma

Digitized by Google

ſumma planities ligneorum Poſtergalium, quæ ſecundi ordinis Stallis inſunt, laneâ verſicolori faſciâ cum brevibus pendulis laciniis veſtietur.

Claudetur Presbyterium ligneis coloratis Cancellis altitudinis quinque circiter palmorum, cum oſtiolo in eorum medietate adverſus Aram Papalem aperto, quatuor ſuperpoſitis congruo ſpatio cum accenſis funalibus candelabris, ex una, alteraque oſtioli parte binis, & binis. At ſi quis ex S. R. E. Cardinalibus ſolemnia peragat, ſex ardebunt cereæ-faces ſuper totidem candelabra, ut ſupra, diſpoſita. Hic autem ritus, & numerus Cereorum ſervabitur quoque in Pontificalibus Veſperis. Quum autem Pontificalia fieri contingat in ſuperiori Eccleſia, Cancelli erigentur proximè ad Altare non Papale.

In ſolemnis Miſſæ celebratione, ad Sanctiſſimi Sacramenti elevationem intortitiorum numerus funalibus, quæ in Presbyrerii cancellis apponuntur, reſpondebit.

Magiſtratus Civitatis ſive ſit invitatus, ſive non, quum pluries Baſilicæ Solemnitatibus adſiſtere ſoleat, præmittet nuncium ſui acceſſus, & ad Eccleſiæ portam a nonnullis Religioſis excipietur. Religioſorum nemo tamen aquam luſtralem ullo modo miniſtrabit, quam ei unus ex Familiaribus dexterâ porriget. Locum ipſe habebit extra, ſed prope Presbyterium a latere Epiſtolæ in Eccleſia inferiori, & ſedebit in Scamno aulæis cooperto, cujus Dorſuale tres palmos altitudine non excedat, abſque genuflexorio, & abſque pulvinaribus, ſed cum Suppe-

 daneo

Digitized by Google

daneo, laneo viridi panno cooperto duorum palmorum latitudinis, altitudine autem infimum Pontificii Solii gradum non ſuperet. In ſuperiori Eccleſia reſidebit extra Chorum a latere Evangelii Altaris Papalis.

In thurificatione ordo hic erit. Epiſcopus, ſive Cardinalis celebret, ſemper a Diacono thurificetur duplici tantùm ductu; Presbyter Aſſiſtens, Subdiaconus, ac Religioſi in Presbyterio, ſeu in Choro ſtantes unico ductu ab eodem Diacono; Diaconus, & Magiſtratus Civitatis unico pariter ductu ſingulatim ab Acolytho; ceteri verò ab eodem Acolytho ſine mora incenſentur: & hæc, quoad modum thurificationis, ſervanda erunt in ſingulis Miſſis ſolemnibus, etiam non Pontificalibus, in Altare Papali decantandis. Ordo autem dandi pacem idem erit, ac ſervatur in thurificatione. Verùm hæc non a Diacono, ſed a Presbytero Aſſiſtente deferetur tum adſtantibus in Presbyterio, tum Diacono apud Altare. Diaconus illam dabit Subdiacono; iſte autem vel Cæremoniario, vel Acolytho, qui eam aliis deferet. Presbyter verò Aſſiſtens data Pace Diacono, oſculabitur Inſtrumentum, quod unus ex Acolythis Magiſtratui oſculandum offeret, ita tamen, ut eorum dignior oſculetur Inſtrumentum, ſubinde per amplexum viciniori ipſe Pacem communicet; idemque fiat a ceteris.

Ad Veſperas in Patriarchali Aſſiſienſi Eccleſia cum ſolemnitate celebrandas illius Civitatis Antiſtiti invitato, & per Baſilicæ portam cum Rocchetto diſcooperto, & Mozzetta advenienti complures Religioſi

Digitized by Google

gioſi occurrent, eum in Sacrarium comitantes. Quum verò idem Aſſiſienſis, vel alius exterus Epiſcopus in Sacrario conſiſtet, ſinguli Religioſi Cottas, & Bireta capient; & eorum duo, qui Aſſiſtentium munere erunt perfuncturi, ſumtis antea Pluvialibus, Epiſcopum Pontificalibus induent paramentis cum pretioſo Formali, quod eſt peculiare Dignitatis Epiſcopalis ornamentum. Mox alii quatuor, qui Cantores erunt, Pluviale ſument. Subinde ipſe Epiſcopus thure poſito in thuribulo aſſurget, eodemque ordine in Miſſa Pontificali deſcripto procedet ad Eccleſiam medius inter Aſſiſtentes, anteriores fimbrias Pluvialis elevantes, binis, & binis Cantoribus ante ipſum Epiſcopum præeuntibus.

Statim ac ad Altare pervenerit medius inter Aſſiſtentes, & Cantores, in infimo gradu ſupra ſericum pulvinar orabit genuflexus. Poſtea perget ad Faldiſtorium cum ſuis Aſſiſtentibus; interim Cantoribus ſtantibus ante Altare. Brevi factâ morâ, depoſitâque Mitrâ aſſurget, & Solemnes Veſperas intonabit, præintonante Antiphonam digniore Cantorum, qui, quoties cantare debebit Epiſcopus, omnes ad illum accedent. Incœpto Pſalmo, & ſedente cum Mitra Epiſcopo tum Aſſiſtentes, tum Cantores cum debitis reverentiis ad Epiſcopum, & genuflexione ad Altare, in anterioribus ejuſdem Altaris gradibus conſidebunt.

Dum poſt Hymnum canitur Antiphona, Epiſcopus ponet thus in Thuribulo, & incœpto Cantico *Magnificat*, præcedentibus Thuriferario, & Acoly-

this

this cum candelabris, nec non Cantoribus Pluviale indutis, procedet ad thurificandum Altare Sanctiſſimi Sacramenti, ſubſequentibus ſenis Religioſis cum Cotta ex iis, qui ſtant in Presbyterio. Redibit inde ad Altare Papale cum eorum aſſiſtentia illud thurificaturus; quo facto ibit ad Faldiſtorium, & ab uno ex Cantoribus thurificabitur. Idem Cantor incenſabit unico ductu ſtantes in Presbyterio, inde eos, qui habent Pluvialia. Poſtmodum ipſe thus accipiet ab Acolytho, qui Magiſtratum, ſi aderit, unico ductu ſingulatim thurificabit; tandem reliquos ſine mora, atque etiam Populum. Cantata ab Epiſcopo oratione, ipſe aſcendet ad Altare, Pontificalem Benedictionem daturus, & poſtea revertetur in Sacrarium.

CAPUT IX.

Quæ obſequia a Religioſis præſtanda ſint Epiſcopo Aſſiſienſi ad dandam cum Sanctiſſimo Sacramento Benedictionem invitato. Quid cum eo ſervandum, ſi præſens ſit Oſtenſioni Sacratiſſimi Veli Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

QUum præter ſolemnem Miſſam, aliaſque Sacras nuper enunciatas Actiones, complures interveniant caſus, in quibus Epiſcopus pro aliis muneribus obeundis, veluti pro danda cum San-

Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento Benedictione ad Baſilicam ſe conferat invitatus; Mozzettâ, & oblongo Pallio indutus, & præmiſſo certo ſui acceſſus nuncio a nonnullis Religioſis erit ad Cœnobii fores excipiendus. Rectâ perget in Aulam Capitularem, in qua ſuper ligneis menſis decenter ornatis ea omnia diſponentur, quæ tum Epiſcopi Perſonæ conveniant, tum ad Sacram Rem rite conficiendam ſint neceſſaria. Ibi quoque ponetur Sedes Cameralis tapeti ſuperpoſita, in qua Epiſcopus aſſidens, depoſitis Pallio, & Mozzettâ, Caudâ diſſolutâ, Rocchettum capiet, manus abluet, & duorum Cœnobitarum Amictu, Albâ, & Dalmaticâ indutorum miniſterio Pontificalia ſumet Paramenta, & Mitratus ad Altare procedet, in cujus infimo gradu pulvinar albi coloris ad genuflectendum apponetur. Verùm ubi in Sanctiſſimi Sacramenti conſpectu fuerit, Mitram deponet, & nudo prorſus capite incedet. Sacrâ Re conſueto Ritu abſolutâ, ad Capitularem Aulam Sacras Veſtes dimiſſurus remeabit, & ab iiſdem Religioſis uſque ad Cœnobii portam in diſceſſu aſſociabitur.

Spectabilium Functionum, quæ in Aſſiſienſi Baſilica maxima cum celebritate peraguntur, celeberrima profectò eſt Oſtenſio Sacri Veli Beatiſſimæ Virginis Mariæ, cum quo in ſecundo Pentecoſtes Feſto die e ſublimi ſuperioris Eccleſiæ Propylæo, piis præhabitis precibus, & Eccleſiaſticarum Cantionum concentu, a Sacri Cœnobii Cuſtode frequens in Area Populus benedicitur.

Publi-

Publicæ inſignis hujus Reliquiæ Prolationi ſi adeſſe velit Epiſcopus, ſive ſit, ſive non ſit invitatus, ei aliqui ex Religioſis obviam procedent ad Cœnobii portam. Et quia brevis actio, & loci anguſtia non patitur, ut Sedes pro eo apponatur, pulvinar tamen in decenti loco præparabitur, ſupra quod ſtato Benedictionis tempore procumbet. Magiſtratui, etiam ſi præſens ſit, nullus aſſignatur locus, ſed in recipiendo Benedictionem, ſupra ejuſdem Propylæi gradus ad libitum genuflectet.

Altera quoque ejuſdem Sacri Veli, occurrente Feſto Annunciatæ Virginis Mariæ, Oſtenſio fit in inferiori Eccleſia e ſublimi Podio, ſeu Odæo ad imam Baſilicæ tranſverſam Navim. Verùm quum Religioſi univerſi Proceſſioni interſint, eorum nemo in occurſum adibit Epiſcopo per Sacri Conventus portam venienti. Et quum præter quaſdam Sacras preces habeatur Concio; prope grandem Baſilicæ Pilam, quæ a minori dextera laterali Navi ducit ad Sacellum Sanctiſſimi Crucifixi, apponenda erit pro eodem Epiſcopo extra majorem Eccleſiæ Navim ſupra tapetem Sedes Cameralis ſine Suppedaneo ad Odæum converſa. Scamnum quoque panno coopertum ſine Suppedaneo pro Magiſtratu, congruo ſpatio ab Epiſcopi Sede diſtans ita locabitur, ut Confalonerii, & Priores Civitatis verſo ad Sacellum dorſo conſiſtant, nullis appoſitis pulvinaribus, ſuper quibus inde genuflectant. At pro Epiſcopo apponetur prope Sedem pulvinar, ſuper quo genibus procumbat.

In

Digitized by Google

In gemina hac Sacri Veli Oſtenſione, etiamſi quivis Eccleſiaſticâ Dignitate præfulgens interſit, Sacri Conventus Cuſtos Pluviali indutus thus in Thuribulo ponet, & Sacrum Velum thurificabit.

CAPUT X.

Quid ab Epiſcopo Aſſiſienſi, & a Sacri Cœnobii Religioſis ſit agendum in Generali Supplicatione SSmi Corporis Chriſti. Quinam bonor exhibendus ſit Epiſcopo, Canonicis, & Magiſtratui ſupplicabundo ritu inſimul cum utroque Clero ad Baſilicam aliquando procedentibus.

COmmendatione digna antiquiſſima conſuetudo eſt, ut in Supplicatione Sanctiſſimi Corporis Chriſti Epiſcopus deferens Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in S. Franciſci Baſilica modico tempore quieſcat. Aderunt ex priſco more ad finem Plateæ inferioris Eccleſiæ ſex Sacri Conventus Religioſi Cottis induti, qui haſtas Baldachini Eccleſiæ Cathedralis, ſub quo incedit Epiſcopus cum Sanctiſſimo Sacramento, accipientes, eas uſque ad portam Baſilicæ deferant; ubi cum Clericis cereas Faces tenentibus, ac binis Acolythis ſuperpelliceatis thure fumigantia Thuribula ducentibus, totidem præſtò erunt Religioſi Sacerdotes ſupra Cottas Pluvialibus amicti, qui ejuſdem Baldachini haſtas ad gra-

Digitized by Google

dus uſque Aræ Papalis geſtent ; quò ſtatim ac pervenerit Epiſcopus, Canonico Diacono tradet Sanctiſſimum Sacramentum , quod in Altaris medio deponet. Tum cantabitur *Tantum ergo* , interim Epiſcopo ſuper pulvinar ſericum in infimo gradu genuflexo, ac humerali Velo depoſito. Thus imponet in Thuribulo Baſilicæ , Sacramentum thurificabit, & Orationem de eodem Sacramento in cantu dicet. Sumet inde Velum humerale , & a Diacono accipiet Sacramentum ; eodemque , quo advenit, ritu, & ordine e Baſilica diſcedet Supplicationem proſecuturus, Religioſis Cottâ indutis deferentibus Baldachinum uſque ad locum nuncupatum *la Cordonata*.

Prope ultimum dexterum Pontificii Solii gradum, oppoſitâque ex parte tam præſente, quàm abſente Epiſcopo apponentur in rectas lineas eadem conſueta ornata Scamna , cum quibus efficitur Presbyterium ; eorumque Suppedaneum viridibus pannis cooperietur, ut ſuper illo queant Canonici Parati genuflectere. Magiſtratus autem locum habebit in ſuo Scamno in Pronai parte contra Pontificium Solium, juxta ſuperiùs dicta cap.8.

Quæ in Supplicatione Sanctiſſimi Sacramenti in Feſto Corporis Chriſti præſcribuntur Epiſcopo, Canonicis, & Magiſtratui, ſervanda pariter erunt in ceteris Proceſſionibus, quæ annuatim, vel extra ordinem fient , ſi fortè intra Baſilicam Clerus Sæcularis conſiſtat; hoc tamen habito diſcrimine , quod ſi Epiſcopus Pluviali indutus incedat , paretur pro eo Faldiſtorium,

Digitized by Google

ſtorium extra gradus Altaris tapeti ſuperpoſitum cum pulvinari ſerico ad genua. Quòd ſi Cappâ ſit amictus, neutiquam Faldiſtorium, ſed Genuflexorium nudum, binis inſtructum pulvinaribus, prope imum Altaris gradum admovebitur. Verùm pro Canonicis, etiam abſente Epiſcopo, apponentur Scamna oblonga ſine Dorſuali periſtromatibus ita cooperta, ut in terram defluant, ac ſuper eorum extremitatibus, nullis appoſitis pulvinaribus, poſſint ipſi decenter genuflectere.

In iis autem Proceſſionibus Generalibus, quibus Sacri Cœnobii Religioſi non interſunt, ipſi intra Baſilicam prope portam in alas conſiſtent, Capitulum Cathedralis cum Clero excepturi, quotidiano Ordinis ſui habitu induti; & Sacri Cœnobii Cuſtos, vel eorum dignior Aſperſorium per contactum reverenter porriget Epiſcopo.

CAPUT XI.

Quid a Sacri Conventus Religioſis in Patriarchali Baſilica agendum ſit cum S. R. E. Cardinalibus.

NE quid minimum honoris ſubtrahatur, quo pari cum humanitate Summus Pontifex BENEDICTUS XIV. S. R. E. Cardinales proſequitur, Privilegia iiſdem conceſſa, quum Aſſiſienſem Sancti Franciſci Patriarchalem Baſilicam adierint, quamvis ſuperiùs breviter indicata, hìc copioſiùs referuntur.

Digitized by Google

Advenienti Cardinali, quocumque Habitu ipſe ſit indutus, ſive per Baſilicæ, ſive per Cœnobii portam introeat, univerſi Religioſi obviam reverenter procedent, Cœnobii Cuſtode, ſeu illorum digniore Aſperſorium in Baſilicæ porta per contactum miniſtrante.

Parabitur pro Cardinali in Baſilica Genuflexorium periſtromate, vel tapete rubro, vel violaceo ornatum juxta Feſtorum, & Eccleſiæ tempora, cum pulvinaribus ſuperiùs, & inferiùs.

Si Cardinalitiis Veſtibus ſit amictus, Rocchettum diſcoopertum cum Mozzetta abſque Mantelletto geret; & Miſſam planam facturus, præparatorias preces vel in eodem Genuflexorio, vel in infimo Altaris gradu, prout magis placuerit, ſupra ſericum pulvinar recitabit, Inſtrumento luminis, & libro Canonis etiam in Miſſa delato; eique Cœnobitæ digniores Cottis induti in eadem Miſſa miniſtrabunt. Veſtis Syrma protendet, & apud Altare Miſſalia capiet Indumenta, quæ neutiquam in Altare Papali, ſed in Abaco jam ante præparata, ibi expletâ Miſsâ reponentur.

Si Miſſam audiat, Sacerdos priuſquam Sacrum incipiat, Cardinali ſe inclinabit; inde Confeſſionem faciet ante gradus in medio Altaris, & Miſſam de more, ac ſi Cardinalis minimè præſens ſit, proſequetur, nec dandæ Benedictionis in fine Miſſæ veniam petet, ſed tantùm abſolutâ Miſsâ, dum in Sacrarium recedit, profundam ei faciet reverentiam.

Sa-

Digitized by Google

Sacerdos celebrans ab Evangelii oſculo abſtinebit, & idem Evangeliorum liber exoſculandus Cardinali deferetur, prout ſuo tempore argenteum Pacis Inſtrumentum.

Verumtamen ſi ſolemnem Miſſam cantare velit, quoad Sacrorum Miniſtrorum numerum, & Baſilicæ Cleri aſſiſtentiam, nec non quoad Ritum omnia peragentur, quæ cap.8. pro Miſſa Pontificali ſunt deſcripta, & etiam hac occaſione libro Canonis, & Inſtrumento luminis utetur.

CAPUT XII.

Quo Ritu a Sacri Conventus Cuſtode ſolemnis Miſſa ſit celebranda in Aris Papalibus, & Veſperæ decantandæ. Idem quoque Ritus ſervabitur a Miniſtro Generali Ordinis, aliiſque ad Solemnia peragenda ſuffectis, qui non ſint Epiſcopi.

QUæ diſciplinæ ratio in Patriarchali Baſilica Aſſiſienſi pro Miſſa, & Veſperis decantandis præfinita eſt Epiſcopis, injungenda pariter videtur Sacri Cœnobii Cuſtodi, ac reliquis, qui ab eodem Cuſtode ad celebrandum ſint ſuffecti. Miſſam itaque cantaturus Miſſalibus induetur Veſtibus in Sacrario, ubi ceteri Religioſi Superpellicea, & Bireta aſſument. Tunc Manſionario, & duobus Æditu-

tuis

tuis præeuntibus, ut dictum eſt cap.8., ſequetur Thuriferarius ante Crucem ſine Flamine, ſeu Velo pendente, quæ inter Acolythos cum Candelabris ab alio Acolytho deferetur. Ordine proceſſionali omnes pergent in Baſilicam, in cujus Presbyterio convenientia ſibi loca, prout cap.8. dictum eſt, ſi Sacrum fiat in inferiori Eccleſia, occupabunt: ſecus verò, & in ſuperiori Eccleſia conſiſtent in Stallis Choralibus. Crux extra Altaris gradus in cornu Evangelii collocabitur, & ab Acolythis Candelabra in Abaco deponentur.

In Presbyterii Cancellis ad Feſtorum celebritatem magnificentiùs augendam conceditur, ut tam in Miſſa, quàm in Veſperis quatuor cereæ Faces ſuper totidem Candelabra colluceant.

Cuſtodi inſervient Presbyter Aſſiſtens cum Pluviali, Diaconus, & Subdiaconus, qui debitis temporibus, nempe Diaconus, & Subdiaconus in Scamno aſſidentes medium habebunt Cuſtodem: Presbyter verò Aſſiſtens ſedebit in Scabello coloribus picto, Summi Pontificis Nomine, & Stemmate ſuperaddito ſine Dorſuali, ad Populum converſus.

Scamnum Cuſtodis ponetur extra cornu Epiſtolæ prope cratem ferream, & Pilam, quæ Solium reſpicit Pontificium, cum Suppedaneo altitudinis unciarum quatuor, & latitudinis palmorum duorum, laneo panno, ſeu aulæo ſuperpoſito, & cum Dorſuali altitudinis palmorum trium, quod ſerico Velo abſque auro obtegetur. Ipſe autem ea utique ſervabit, quæ a reliquis Presbyteris in cantandis Miſſis

pera-

Digitized by Google

peraguntur . Verumtamen indulgetur , ut Canonis libro , & argenteo Bacili ſemel ad lavandas manus in Miſſa, non autem luminis Inſtrumento uti poſſit.

Si Feſtum , in quo celebratur Miſſa ſolemnis, occurrat in Dominica, Celebrans in Sacrario induetur Pluviale, cum quo, enunciato ſuperiùs ordine, ad Altare procedet ſine Presbytero Aſſiſtente, medius inter Diaconum, & Subdiaconum Aſperſionem cum Aqua luſtrali juxta Eccleſiaſticum Ritum peracturus, quâ expletâ Pluviale dimittet , ſumptâque Caſulâ Miſſam ſolemnem cum Presbyteri Aſſiſtentis miniſterio, aliiſque Sacris Miniſtris celebrabit .

In Veſperis decantandis idem erit Ritus procedendi ad Eccleſiam , ſed incenſum non deferetur. Cuſtos induet Pluviale ſine gemma, dicta *Pectorale*, aut *Formale*, quod ſolis Epiſcopis competit; & Miniſtrorum Aſſiſtentium numerum cum Pluvialibus juxta majores , vel minores Feſtorum celebritates ſibi ſumet . Sedebit in ornato Scamno, prout in Miſſa, ſed unius tantùm loci ad ſedendum idoneo . Aſſiſtentes autem Pluvialibus induti ſedebunt in anterioribus Altaris gradibus , & caput Bireto Clericali cooperient.

Cuſtos ad Canticum *Magnificat* Ritu in cap. 8. enunciato Altare prius Sanctiſſimi Sacramenti , inde Altare Papale thurificabit. Ipſe duplici ductu incenſum recipiet, quia Celebrans ; unico ductu Cœnobitæ omnes in Presbyterio , ſeu in Choro ſtantes, prout Aſſiſtentes Pluvialibus induti; ceteri verò ſine mora thurificabuntur.

Si

Digitized by Google

Si aderit aliquis Epiſcopus , vel Romanæ Curiæ Prælatus, ſeu Miniſter Generalis , duplici ductu honorabitur. Magiſtratui autem, ſi interſit, poſt Aſſiſtentes Paratos ab Acolytho incenſum unico ductu dabitur, ſed ſingulatim.

Inchoatis Veſperis , aliiſque Divinis Officiis , etiam nocturnis, quocumque tempore, die, & Feſto peragantur, neque Celebrans, neque Aſſiſtentes cum Pluvialibus recedant in Chorum , ut ibi ſedeant ; ſed uſque ad Veſperarum, & Officiorum complementum in ſuo Scamno, & locis omnes viriliter, ac religiosè conſiſtant.

Hunc ſolemnis Miſſæ , & Veſperarum Ritum pro Sacri Conventus Cuſtode ſtatutum Miniſter quoque Generalis , prout etiam alii Epiſcopis inferiores abſque ulla varietate ſervabunt. At in Miſſæ lectæ celebratione in minoribus Sacellis ex Apoſtolico Privilegio Inſtrumentum luminis Miniſtro Generali conceditur.

Armonicæ tandem Muſices concentus eâ modulatione in quibuslibet Miſſis etiam Pontificalibus, & in univerſis Divinis Officiis ita ſit compoſitus , ut ad afferendam Domino Deo gloriam, & honorem in Aula Sancta ejus, in Patriarchali Baſilica, & in Cappella Romani Pontificis quammaximè deceat. Idcirco præter Organorum, nec non grandioris, & minoris Barbiton ſonitum, vulgò *Violone*, & *Violoncello*, omnia, & ſingula tum profana, tum theatralia Inſtrumenta omnino interdicuntur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIII.

De Proceſſionibus, & de Inſignibus Patriarchalis Baſilicæ in iis deferendis.

PRoceſſiones, quibus Sacri Conventus Religioſi adeſſe ſolent, aliæ generales ſunt ex utroque Clero compoſitæ; aliæ non generales, ſed quæ cum Capitulo Cathedralis fiunt; aliæ tandem ita particulares, & Aſſiſienſis Baſilicæ propriæ, ut ſine ipſo Capitulo peragantur. Proceſſionibus itaque ipſi interfuturi, ſive conveniat Epiſcopus Aſſiſienſis, & unà ſimul Cathedralis Capitulum, ſive idem Capitulum abſque Epiſcopo adſit, nulla Baſilicæ Patriarchalis Decora, nullaque Inſignia deferent; ſed veluti Fratres Ordinis Minorum Conventualium Sancti Franciſci conſueto loco procedent ſub propria Cruce proceſſionali, cujus haſta pendenti Flamine, ſeu Velo obducetur. Verùm in ceteris Proceſſionibus vel ex Baſilicæ Inſtituto, vel ad ſolam Baſilicam quavis data occaſione pertinentibus, nunquam Cruci apponetur Flamen, ſed eo detracto ſemper geſtabitur.

Si extra Eccleſiam dirigatur Proceſſio, una, & altera Crux Baſilicæ attolletur, ſub quibus illæ Religioſæ Familiæ, quæ propriam Crucem non portant, ſi Proceſſioni interſint, ante Sacri Conventus Cœnobitas incedent.

E Ante

Digitized by Google

Ante Cruces, ut dictum eſt ſuperiori cap.8. ac 12., ibunt Manſionarius, & Æditui; inde aliquis indutus Sacco lineo concolore Habitui Cœnobitarum, qui ligneam Campanariam Turrim eleganter elaboratam, auroque illitam, ac Sancti Franciſci Imaginem, & Beneficentiſſimi Pontificis BENEDICTI XIV. Stemma referentem portans, Campanulam in eadem Turricula appoſitam gradiendo lentè pulſet.

Alter etiam non abſimili Sacco amictus Papilionem ſericis rubei, & flavi coloris faſciis diſtinctum cum Chriſti Domini e Cruce pendentis Imagine deaurato Orbi ſuperpoſitâ geſtabit. Inde ſuccedent binæ Cruces, una nempe ante aliam, quas Religioſi Cottis induti inter Acolythos cum Candelabris & Candelis accenſis, binos ad ſingulas Cruces elatas, gerent. Sequentur inde Religioſi ordinem Supplicationis abſolventes, ad quorum latera, debitis interpoſitis ſpatiis, quatuor Clerici Mazzerii, ut mox referetur, adſtabunt.

In ſolemni Supplicatione, quæ Dominicâ infra Octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti poſt Veſperas per Civitatem a Patriarchalis Baſilicæ Clero, ſeu Religioſis peragitur, hic erit incedendi ordo. Ante omnes procedent eæ Laicorum Confraternitates, quæ cum ſuis Inſignibus convenire ſolent. Subinde Manſionarius cum Baculo inter duos Ædituos; nunc Turricula Campanaria, & Papilio.

Poſtea veniet Clericus Cœnobita Cottâ indutus cum Baſilicæ Cruce medius inter Ceroferarios. Succe-

Digitized by Google

Succedent Religioſi Cottis induti cum Cereis; mox Vicarii Curati Eccleſiarum a Baſilica dependentium ſuperpelliceati itidem cum Cereis, & poſt hos locum habebit Schola Cantorum. Proximè accedet Subdiaconus Cœnobita Amictu, Albâ, & Tunicellâ indutus, alteram Baſilicæ Crucem deferens cum duobus Acolythis cum Candelabris. Prope Acolythos aderunt Sacerdotes Cœnobitæ Parati Cottis, & Pluvialibus pro deferendis haſtis Baldachini in principio, & in fine Proceſſionis intra Baſilicam, poſt quos venient ii, qui duas Pœnitentiariorum Virgas elatas geſtent. Subſequentur Baſilicæ Pœnitentiarii cum Candelis, Amictu, Albâ, & Planetâ induti. Poſtmodum ceteri Cœnobitæ cum Candelis accenſis, alii Tunicellis, alii Dalmaticis, alii Planetis, & alii Pluvialibus ſupra Cottam, & Amictum Parati, ad eorum latera adſtantibus quatuor Clericis Mazzeriis cum veſtibus violaceis, ac ſub ſiniſtro brachio exiguas Clavas villoſo rubro contectas, cum argenteo Baſilicæ Stemmate in earum ſummitate, gerentibus.

Poſt Cœnobitas omnes Paratos procedent duo Thuriferarii leniter, ac decorè Thuribula ducentes. Tandem ſequetur Sacerdos Albâ, Stolâ, Pluviali, & Velo humerali amictus, ſub Baldachino Oſtenſorium cum Sanctiſſimo Sacramento portans inter duos Sacros Miniſtros Albâ, & Dalmaticâ indutos, anteriores Pluvialis fimbrias hinc inde elevantes.

Ante, & poſt Baldachinum aderunt, qui haſtatas Laternas deferant, & ad utrumque Baldachini latus quatuor Religioſi cum Cottis Funalia accen-

Digitized by Google

ſa geſtantes. Poſt Baldachinum incedent quatuor Cantores cum Cottis conſuetas Sacras Cantiones, vel Hymnos concinentes, prope quos locum ſumet Miniſter de Libro cum Superpelliceo. Adveniet tandem Magiſtratus Civitatis.

Si verò Epiſcopus Aſſiſienſis Sacræ huic Actioni adeſſe velit, Cappam complicatam induet, & accenſum Funale geſtans Magiſtratum Civitatis præibit; & tam in primo inceſſu, quàm in reditu Proceſſionis ad Eccleſiam in Genuflexorio nudo, binis inibi appoſitis pulvinaribus, procumbet, & pro Religioſis apponentur Scamna, ut cap.8. & 12. Porro Baldachinum in principio Proceſſionis a porta Baſilicæ uſque ad locum nuncupatum *Cordonata*, & per totam Plateam Eccleſiæ ſuperioris, ſicuti etiam in regreſſu ab eodem loco *Cordonata* uſque ad ipſius Baſilicæ fores, a Religioſis Cottâ indutis deferetur.

In Supplicatione Sanctiſſimi Sacramenti pro Oratione Quadraginta Horarum Cœnobitæ curabunt, ut Sacra hæc Actio peragatur juxta Inſtructionem, & præceptum a ſan. mem. Clemente XI. editum die 20. Januarii 1705., & a fel. rec. Clemente XII. confirmatum die prima Septembris 1730., & in calce hujus Cæremonialis appoſitum. Baldachini haſtas intra Baſilicam Religioſi Cottis induti elevabunt; & quamvis Cœnobitæ univerſi cum Cereis Sacramento inſerviant, præter illos, qui ex Romani Concilii Decreto haſtatas Laternas deferent, aderunt ad geminum Baldachini latus quatuor Religioſi cum Superpelliceis, qui ardentia Intortitia geſtent.

Iſte

Digitized by Google

Iſte Ritus ſervabitur etiam in Proceſſione ultimâ Dominicâ cujuſvis menſis cum Sacramento peragenda, quæ extra Baſilicam per Plateam deducitur. Pro Oratione autem Quadraginta Horarum, poſt expletam ſolemnem Miſſam in Ara Maxima non Papali, Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publico Fidelium proponetur cultui in Altare Papali.

CAPUT XIV.

De Exequiis intra Baſilicam, Corpore præſente, peragendis, & de Anniverſariis Defunctorum.

CRebrò Fideles vitâ decedentes, pia ex eorum voluntate Sepulturæ locum ſibi deligunt in Aſſiſienſi Baſilica. Idcirco ad controverſias, & contentiones dirimendas, quæ inter Parochos, & Sacri Cœnobii Religioſos oriri poſſent ſuper prolatione Crucis Parochialis, delatione Stolæ, & aſſociatione Cadaveris, id, quod ſequitur, erit a Parochis, & a Religioſis plenæ executioni mandandum.

Parochi uſque, & ante portam inferioris Eccleſiæ aſſociabunt Cadaver, ibique aſpergent. Subinde Crucem demitti facient, & Stolam e collo deponent. Permittetur tamen iis, ſi velint, ut ſine Stola in Eccleſia adſiſtant, quin cum Religioſis Juſta perſolventibus ſe immiſceant. Qua lege Vicarius Curatus quoque Eccleſiæ Parochialis S. Margaritæ, etſi

Or-

Digitized by Google

Ordinis Minorum Conventualium Cœnobita, comprehenditur.

Cadaver ante Sacellum Sanctiſſimi Crucifixi recto tramite deducetur, in tranſverſa minori Eccleſiæ Navi conſtructum, ubi Eccleſiæ Cruce elatâ, a Cœnobita Hebdomadario Abſolutio, Aſperſio, aliæque Preces in Rituali Romano demandatæ peragentur, quin e Feretro deponatur Cadaver; & in eodem Sacello recitabitur Officium Defunctorum juxta ejuſdem Ritualis Romani præceptum a ſanctæ memoriæ Benedicto Papa XIII. ſpecialiter confirmatum die 8. Novembris 1726., & 17. Januarii 1727., ac tandem Miſſa pro Defuncto cantabitur.

Nullo autem quæſito colore Cadaver alio in loco, quàm ante prædictum Sacellum, cujuſcumque Generis, & Dignitatis, ſive Sacerdos, ſive Religioſus, ſive Laicus ſit defunctus, efferetur; ejuſdemque Familiæ coloribus expreſſa Stemmata tam in interioribus, quàm in exterioribus utriuſque Eccleſiæ parietibus ne affigantur. At quum conſuetæ preces pro Defunctis aſſignatæ inter Eccleſiaſtica Officia jure numerentur, & ſancta, & ſalubris ſit cogitatio pro iiſdem Defunctis exorare; ad Fidelium obitum Populo indicandum, quando infertur Cadaver in Eccleſiam, pulſabuntur Campanæ lugubri ſonitu, ter congruo facto temporis intervallo inter primam, ſecundam, & tertiam pulſationem, ante ſolemnem Miſſam repetendo. Idem Ritus ſervabitur in Anniverſariis, quæ cum Caſtro doloris, vel ſine ipſo ad præfatum Sanctiſſimi Crucifixi Sacellum, & non alibi fient.

Exci-

Digitized by Google

Excipiuntur ſola Summorum Pontificum , Imperatorum , & Regum Exequiæ , & Anniverſaria , atque ex Summi Pontificis Privilegio omnium etiam S. R. E. Cardinalium Generale Anniverſarium , quæ ratione excelſæ illorum Dignitatis tum majori cum Cenotaphii pompa , tum in majori Baſilicæ Navi erunt exequenda .

In obitu etiam Epiſcopi Aſſiſienſis , ſi ipſe Cadaver ſuum tumulari mandet in Baſilica S. Franciſci , ſolemnes Exequiæ ei perſolventur abſque interventu Capituli a Sacri Conventus Religioſis , ex Indulto Summi Pontificis in majori Eccleſiæ Navi , eidem tamen defuncto Epiſcopo peractis pridem in Cathedrali parentalibus ; poſt quæ a Canonicis funebri pompa ad portam uſque Baſilicæ aſſociabitur Cadaver , quod , illico diſcedente Capitulo , in Baſilicam deducetur a Cœnobitis .

In media itidem Baſilicæ Navi funus fiet S. R. E. Cardinalibus , Corpore tamen præſente , ſi quis eorum in prælaudata Baſilica Sepulchrum ſibi præſtituat . In Commemoratione pariter omnium Fidelium Defunctorum erigetur Tumulus in medio Eccleſiæ ; & lugubribus his in Officiis ſonitus Campanarum prolixior edetur , ac ſolemnis Miſſa cantabitur cum Candelis flavi coloris ſemper in Ara Principe non Papali .

CA-

Digitized by Google

CAPUT XV.

Methodus Sacræ Viſitationis Patriarchalis Eccleſiæ Aſſiſienſis a Summo Pontifice Miniſtro Generali Ordinis ſpecialiter delegatæ.

NEmo unquam, quavis facultate polleat, ac Dignitate præfulgeat, Sacram Baſilicæ Viſitationem peragere valeat, niſi fuerit a Summo Pontifice ſpecialiter deſignatus, & electus. Ipſemet etiam Miniſter Generalis Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci id exequi nequibit, niſi habitâ in ſcriptis per ſingulas vices ab eodem Pontifice Maximo facultate. Eximium hoc munus itaque effecturus, intra portam inferioris Eccleſiæ, non tamen proceſſionali modo, a Religioſis recipietur, eidemque Biretum Presbyterale manu tenenti Cuſtos ſtans Aſperſorium per contactum exhibebit. Rectâ ſtatim medius inter Cuſtodem, & Socium Ordinis deducetur ad Sacellum Sanctiſſimi Crucifixi, quod erit eleganter ornatum, atque Candelabris cum ardentibus Candelis inſtructum. Genuflectet in imo gradu ſupra pulvinar ibi appoſitum, ex Privilegio in hac Sacra tantùm Actione conceſſum, & brevì orabit. Aſſurgens inde ſedebit in Camerali Sede ſine brachiis ante latus Epiſtolæ ſupra Altaris Suppedaneum præparata; & caput Bire-

Digitized by Google

to cooperiens, Secretario Ordinis in plano ſtanti ad ſui ſiniſtram legendum tradet Summi Pontificis Indultum pro Viſitationis munere ſibi concredito, in Sacri Conventus Acta redigendum; eoque perlecto Cœnobitæ omnes, a dignioribus incipientes, obedientiam per manus oſculum ei reverenter præſtabunt.

Extra hunc Apoſtolicæ Viſitationis explendæ, alterumque Actum ſuæ in ſupremum totius Ordinis Moderatorem electionis, Miniſter Generalis quovis alio tempore in Aſſiſienſi Baſilica hujuſmodi Sede non utetur.

Redditâ ab omnibus Obedientiâ ab Altare deſcendet, & in plano Sacelli extra latus Epiſtolæ ſtans, Supelliceum primò, inde Amictum, Stolam, & Pluviale nigrum induet; Socius verò, & Secretarius Ordinis Cottam, & Biretum Presbyterale ſument. Interim Sedes ab Altari amovebitur, cujus frons Pallio itidem nigro obtegetur.

Ante dictum Sacellum ponetur Lectica Mortuorum, & quinque Acolythi cum Cottis Crucem haſtatam Baſilicæ, Candelabra cum Candelis, vas Aquæ benedictæ cum Aſperſorio, & Thuribulum cum Navicula incenſi capient,

Qui defert Crucem, medius inter Acolythos cum Candelabris, congruo diſtans ſpatio ante Lecticam Mortuorum, verſa facie ad Altare conſiſtet. Miniſter autem Generalis inter prædictos Socium, & Secretarium Ordinis accedet prope Lecticam, & in cantu inchoabit Antiphonam *Si iniquitates*, quam Cantores proſequentur unà cum Pſalmo *De profundis*.

Quo tempore repetitur Antiphona, miniſtrante ſine oſculis Naviculam Socio Ordinis, Generalis ponet thus in Thuribulo cum Benedictione; & completâ Antiphonâ, cantans dicet *Pater noſter*, ſecretò Orationem Dominicalem recitans. Mox ſumet a Socio Aſperſorium, ipſoque Socio cum Secretario anteriores Pluvialis fimbrias elevante, latera Lecticæ ab utraque parte ter aſperget, & inde pari modo thurificabit; redditoque Thuribulo, ſtans ante Lecticam cantabit *Et ne nos &c.* cum Verſiculis, & Oratione *Deus veniæ largitor*, prout in libro Cæremoniali Ordinis. Dicto a Cantoribus *Requieſcant in pace*, ſignum Crucis ſupra Lecticam cum dextera producet nihil dicens, & Cruce cum Candelabris præeunte ad Altare redibit. Amovebitur Lectica, & Pallium nigrum ab Altaris fronte. Generalis interim nigris dimiſſis in eodem loco Paramentis, Stolâ, & Pluviali albo induetur; & Cruce prævià cum Acolythis, Proceſſio ad Altare Papale dirigetur, Organis feſtivè tinnientibus, quæ non ampliùs pulſabuntur, quum ad Altare Papale Generalis pervenerit.

Crux Baſilicæ extra Altare ad cornu Evangelii deferetur, Candelabra verò in Abaco deponentur, & Religioſi per Eccleſiam in alas conſiſtent. Miniſter Generalis genuflexus ſupra pulvinar in infimo Altaris gradu intonabit Antiphonam *Salve Sancte Pater*, quâ finitâ, flexis adhuc genibus cantabit Verſiculos; inde aſſurgens Orationem canet de Sancto Franciſco. Accedent poſtmodum ad latera Altaris quatuor Clerici Cottis induti cum Intortitiis accenſis;

ſis; & Sacriſta Cottâ, & Stolâ amictus clavem Tabernaculi deferet, & Miniſter Generalis genuflexus Oſtiolum Tabernaculi Sanctiſſimi Sacramenti aperiri, & Pyxidem extrahi mandabit, quam Sacriſta cum debitis genuflexionibus ſuper Corporale in Altaris medio ponet, & inde ab Altari deſcendet.

Mox inchoabitur *Tantum ergo*, poſt cujus ſecundum verſum Generalis aſſurgens, quin e medio diſcedat, miniſtrante Naviculam Socio Ordinis imponet ſine Benedictione thus in Thuribulum, & flexis exinde genibus Sacram Euchariſtiam thurificabit. Subinde cum ſuis Aſſiſtentibus ſurgens, iiſque Pluviale hinc inde elevantibus, Altare conſcendet, Sacriſtâ etiam comitante; & flexo ab omnibus poplite poſtquam Sacramentum adoraverit, Pyxidem, quin ipſe eam tangat, aperiri jubebit. Pyxidem, & Sacras Hoſtias reverenter ſcrutatus, ſuper iis ſubmiſſa voce inquiret, quæ ad diligentem Sacramenti cuſtodiam, cultumque ei debitum ſpectant; & his peractis, Pyxis a Sacriſta operietur.

Omnes denuo genuflectent, & ab Altare deſcendent. Generalis genuflectens abſque nova incenſi impoſitione Sacramentum iterum thurificabit, Cantoribus interea Hymnum ad finem perducentibus. Quo finito, & a Cantoribus adhuc genuflexis dicto Verſiculo *Panem de Cælo*, Generalis ſurgens Orationem de Sacramento cantabit, Librum iiſdem Aſſiſtentibus pariter genuflexis ſuſtinentibus, Inſtrumento luminis non adhibito.

Digitized by Google

Poſt hæc Generalis ſumet Velum humerale, & cum Aſſiſtentibus ad Altare procedens, cum debita genuflexione Sacramentum adorans, Pyxidem accipiet cum Velo manus cooperiens. Inde ad Populum converſus, dabit de more Benedictionem.

Exinde deponet Pyxidem ſuper Corporale, & depoſito Velo genuflectet Sacramento, & quin terga vertat, ab Altari per dexterum latus, ſed anteriùs deſcendet. Poſtmodum genuflexus manebit, donec Sacra Pyxis a Sacriſta in Tabernaculo recondatur, & claudatur Oſtiolum. Tunc aſſurget, & repetitâ genuflexione, ad Sacra Olea viſitanda procedet, quibus inviſis, ordine Proceſſionali per breviorem viam ſe conferet in Sacrarium, Paramenta dimiſſurus.

CAPUT XVI.

Aſſignatio temporum, quibus ex benigna Summi Pontificis conceſſione Fratres Sacri Conventus in Patriarchali Aſſiſienſi Biretis Clericalibus & Superpelliceis utentur.

QUæ ſparſim dicta ſunt in ſuperioribus Capitibus, ad plenam eorum obſervantiam in unum colligere, & luculentiùs declarare plurimùm intereſt. Et primò quum Summus Pontifex uſum Superpellicei, & Bireti nigri Clericalis Religioſis

gioſis Sacri Cœnobii peramanter indulſerit, id erit quammaximè cavendum, ut omnia, & ſingula Superpellicea in lineæ telæ ſpecie inter ſe prorſus conſimilia, ſericis coloratis vittis e collo penitus excluſis, criſpis verò artefactis, & pinnulis Regulari Ordini congruis exornentur.

Illa autem induent in ſingulis Miſſis, Veſperis, & Officiis ſolemnibus, quæ cum eorum aſſiſtentia ſive in inferiori Eccleſiæ Presbyterio, ſive in Choralibus Stallis ſuperioris ejuſdem Eccleſiæ in gemina Ara Papali cantabuntur. Ea quoque adhibebunt eo tempore, quo alicui S. R. E. Cardinali, ſive Epiſcopis in Miſſæ miniſterio inſervient. Item in Sacramentorum adminiſtratione; & Baſilicæ Pœnitentiarii Confeſſarii cum Stola violacea ſuperaddita, quum in Eccleſiæ Exedris ad excipiendas Fidelium Confeſſiones conſederint. Reliqui autem Confeſſarii non Pœnitentiarii, quotidiano ſui Ordinis Habitu cum Stola induti, & Clericali Bireto cooperti, Pœnitentium Confeſſiones excipient.

Tandem univerſi utentur Biretis in Miſſæ lectæ celebratione, quæ itidem adhibebunt Celebrans, ejuſque Miniſtri in ſolemnibus Sacris ad quæcumque Baſilicæ Altaria faciendis, & in ſingulis Proceſſionibus, quæ cum Patriarchalis Baſilicæ Inſignibus intra Eccleſiam, & extra ducentur. At ceteri Religioſi ab illorum uſu abſtinebunt, & cum ſolo Ordinis ſui Habitu procedent, excepta ſolemni Supplicatione Sanctiſſimi Corporis Chriſti, quæ infra ejuſ-

dem

dem Feſti Dominicam haberi ſolet, & in qua Religioſi cum Paramentis, quæ veſtiunt, Bireta quoque omnes deferent.

CAPUT XVII.

Modus habendus in variis Actionibus, quæ ex Ordinis Minorum Inſtituto fieri aſſolent.

FIrmatis in ſuperiori Capite iis, quæ ad uſum Bireti Clericalis, & Superpellicei ſpectant, nonnullarum Actionum modus præſcribitur, quæ ab Ordinis Minorum Conventualium Inſtituto demandantur, quæve in Patriarchali Aſſiſienſi ad Sanctiſſimi Crucifixi Sacellum in poſterum erunt explendæ.

Quum in Sacro Cœnobio Aſſiſienſi habenda fuerint Generalia Comitia pro Miniſtri Generalis electione, is, qui Generalis Miniſter fuerit renunciatus, ad Sacellum Sanctiſſimi Crucifixi coram Præſidente, quicumque ille ſit, Fidei Profeſſionem emittet flexis genibus abſque pulvinari; & Præſidens a Papa delegatus, in latere Evangelii aſſidebit in Sede Camerali cum fulcris ad brachia, ſupra Suppedaneum Altaris poſita. Poſt Fidei Profeſſionem novus Miniſter Generalis aſſurget, & Bireto Clericali coopertus, ſedenſque in Camerali Sede ſine fulcris ad brachia, in eodem Altaris Suppedaneo a latere Epiſtolæ præparata, a ſingulis Religioſis obedientiam reci-

Digitized by Google

recipiet. In Provincialibus verò Comitiis Præſidens a Miniſtro Generali electus ſedebit in Sede ſine brachiis ad latus Evangelii, & novo Provinciali ad latus Epiſtolæ in Scabello aſſidenti obedientiam de more exhibebitur.

Quotieſcumque etiam Cœnobita Cuſtos aliquem Religionis Habitu in Baſilica induere debebit, eumque exinde ad Inſtituti Profeſsionem admittere, ſemper in præfato Sanctiſsimi Crucifixi Sacello hæ Actiones explebuntur. Cœnobita verò Habitum Religionis conferens, & ad Profeſsionem admittens, non in Sede Camerali, ſed in Scabello ad cornu Epiſtolæ ſedebit.

Idem ſervabitur a Cœnobita Viſitatore Sæculares utriuſque ſexus Habitu Tertii Ordinis induente, ac etiam illorum Profeſsionem recipiente, nec non in familiaribus Sermonibus ad eoſdem Fratres, & Sorores frequenter habendis.

Quæ hactenus Benedicti XIV. Summi Pontificis juſſu, & auctoritate decreta, atque ſancita ſunt, ea Patriarchali Aſsiſienſi Baſilicæ novum decus, ſplendorem, & ornamentum adjungent; certamque, ac definitam Cæremoniarum regulam aſsignando, & Rituum legem præſcribendo, non ſolùm omnes dubitationum cauſas in poſterum removebunt; ſed quod maximum eſt, apprime Dei cultum propagando, Chriſtifideles in vera pietate, ac religione vehementer confirmabunt.

ISTRU-

Digitized by Google

ISTRUZIONE ET ORDINI

Da oſſervarſi nell'Orazione continua di Quarant'Ore coll'Eſpoſizione del SSmo SAGRAMENTO per li biſogni di Santa Chieſa, ſecondo la pia mente de' Sommi Pontefici confermata, e publicata di nuovo per ordine di Noſtro Signore Papa Clemente XII.

Proſpero del Titolo di San Silveſtro in Capite della S. R. C. Card. Mareſoſchi della Santità di Noſtro Signore Vicario Generale &c.

ESSENDO ſtate fatte fin dal tempo dell'introduzione dell'Eſpoſizione del SANTISSIMO SAGRAMENTO per l'Orazione continua di Quarant'Ore diverſe proviſioni ſpettanti al decoro di detta Sagra Funzione, acciò le medeſime venghino eſattamente oſſervate, e ſi rimova qualche abuſo introdotto in alcune Chieſe; D'ordine eſpreſſo della Santità di Noſtro Signore datoci coll'oracolo della ſua viva voce ordiniamo, e comandiamo, che in tutte le Chieſe di queſt'Alma Città, tanto Patriarcali, quanto Collegiate, e Parocchiali, ed in ogn'altra Chieſa sì de' Secolari, come de' Regolari in qualſivo-

Digitized by Google

ſivoglia modo privilegiata, e degna di ſpecial menzione, in cui ſi farà la ſuddetta Orazione di Quarant'Ore, s'oſſervi inviolabilmente quanto ſi preſcrive nella preſente noviſsima Iſtruzione, ſotto le pene infraſcritte.

I. Si metterà ſopra la Porta della Chieſa, dove ſarà l'Eſpoſizione, un ſegno del Santiſsimo Sagramento ornato di feſtoni, come pure a capo della ſtrada vicina, perchè ſia noto a chi paſſa, eſſer ivi l'Eſpoſizione del Santiſſimo Sagramento.

II. Il Santiſſimo Sagramento dovrà eſporſi nell'Altar Maggiore, (eccettuatene le Baſiliche Patriarcali, nelle quali ſi ſuol eſporre ſopra altro Altare) e ſi coprirà l'Imagine, o Statua, che vi ſia; come anche le pareti della Tribuna, e le vicine all'Altare, ſe non vi ſono ornamenti fiſſi, ſi copriranno con drappi, avvertendoſi, che gli apparati non contengano Iſtorie, nè coſe profane.

Sopra l'Altare non vi ſi pongano Reliquie de' Santi, o Statue de' medeſimi, (non eſcludendoſi però quelle degli Angeli, che facciano figura di Candelieri) e molto meno vi ſi pongano figure dell'Anime del Purgatorio di qualſiſia materia; il che ſi proibiſce anche in tutte l'Eſpoſizioni particolari, & in quelle, che talvolta ſi fanno per ſuffragio di quell'Anime.

III. Sopra detto Altare in ſito eminente vi ſia un Tabernacolo, o Trono con Baldacchino proporzionato di color bianco, e ſopra la baſe di eſſo vi ſia un Corporale per collocarvi l'Oſtenſorio, o Cuſtodia, il di cui giro ſarà attorniato di raggi, e non vi ſarà

Digitized by Google

davanti alcun' ornamento, che impediſca la viſta del Santiſſimo.

IV. Ardino ſopra l'Altare almeno venti lumi continuamente, cioè ſei candele d'una libra, tre per parte dai lati della Croce, ed otto candele nella parte ſuperiore, con altre quattro dai lati dell'Oſtenſorio, nella di cui parte oppoſta non vi ſi ponga onninamente lume alcuno, e vi ſiano finalmente due Torcieri con le fiaccole, almeno di tre libre l'una. L'iſteſſo numero de' lumi vi ſia anche di notte dopo ſerrata la Chieſa, tra' quali ve ne ſiano almeno dieci di cera, e per la Chieſa nella ſera ſi mettano lumi ſufficienti per evitare la confuſione, i quali ſtiano acceſi finchè ſi chiudano le Porte di eſſa. Potranno anche di giorno oſcurarſi le fineſtre vicino all' Altare dell'Eſpoſizione, ad effetto di raccogliere la mente de' Fedeli all'Orazione.

V. Niun Secolare, benchè veſtito con Sacco di qualſivoglia Compagnia ardiſca d'andare intorno all' Altare per aggiuſtare lumi, o far altro, che occorra, ma dovrà eſſere un Sacerdote, o almeno un Chierico con Cotta, con la quale ſopra il proprio Abito dovranno comparirvi, anche i Regolari di qualſivoglia Religione: Avvertendoſi di più, che ogni Perſona di qualſivoglia condizione, ed ordine, per Decreto della Sagra Congregazione de' Riti, *Urbis 19. Auguſti 1651.*, avanti il Santiſsimo Sagramento eſpoſto accoſtandoſi, o partendoſi da eſſo, deve fare la riverenza con ambe le ginocchia piegate. In ordine poi alla Perſona del Sacerdote, il quale

il quale celebra la Meſſa privata, s'inſinua eſſervi Decreto della medeſima Sagra Congregazione, *Urbis 7. Septembris* 1638., che mentre paſſa avanti l'Altare, in cui ſta eſpoſto il Santiſsimo Sagramento, dopo fatta l'Adorazione con le ginocchia piegate, ſcoperto il capo, alzandoſi lo ricopra.

VI. Si tenga durante l'Eſpoſizione alla Porta della Chieſa, per la parte di dentro, o di fuori, come tornerà più comodo, un Tappeto, che faccia forma di Buſſola con ſpazio adequato ai lati, per comodità del popolo, e ſia talmente poſto, che non poſſa mai dalla ſtrada vederſi il Santiſsimo Sagramento.

VII. Stiano di continuo uno, o due Sacerdoti, o almeno in altr'Ordine Sagro coſtituiti ſe ſi potrà, veſtiti di Cotta (benchè ſiano Regolari) genufleſsi avanti d'un Banco ricoperto con Tappeto, o panno roſſo, o d'altro colore, e qualità decente, vicino all'infimo grado dell'Altare, e non mai ſopra Genufleſſorj, orando tanto di giorno, quanto di notte a vicenda. Dove ſarà qualche Confraternita vi aſsiſtano due Confratelli almeno, avanti un Banco coperto di panno verde, o d'altro colore decente, parimente a vicenda, ma fuori del Presbiterio, e diſtanti dagli Eccleſiaſtici ſuddetti, ed oreranno con tutta divozione per edificazione degli Aſtanti, e con voce ſommeſſa per non cauſare diſtrazione agli altri.

VIII. Nella Sagreſtia vi ſia l'Orologio, almeno a polvere, per ſapere il tempo della vicenda, di cui ſe ne darà il ſegno ad ogni ora con la Campana maggiore tanto di giorno, come di notte.

Digitized by Google

IX. La ſera avanti il giorno dell'Eſpoſizione dopo il ſegno dell'Ave Maria, ſi ſuonino le Campane ſolennemente per avviſo del Popolo, come anche la mattina nel far del giorno, e dopo tutti gli altri ſegni dell'Ave Maria durante l'Eſpoſizione, come parimente le ſolite tre volte avanti le Meſſe ſolenni.

X. Nell'Altare, dove ſta eſpoſto il Santiſsimo Sagramento, non ſi celebri altra Meſſa, che le ſolenni per l'Eſpoſizione, e Repoſizione, ne' quali due giorni, oltre la Conventuale (nelle Chieſe dov'è obbligazione di cantarla) ſi celebrerà dopo Nona la Meſſa del Santiſsimo Sagramento Votiva *Pro re gravi* (eccettuate però tutte quelle Domeniche, che ſono di prima, o ſeconda Claſſe, e tutti i giorni, ne' quali per ragione del Calendario tanto univerſale, quanto particolare di quella Chieſa, in cui ſi fa l'Eſpoſizione, ſi fa Officio parimente di prima, o ſeconda Claſſe, come anche eccettuata la Feria quarta delle Ceneri, e le Ferie ſeconda, terza, e quarta della Settimana Santa; Tutti li giorni dell'Ottava di Paſqua, e di Pentecoſte, le Vigilie del Santo Natale, e della Pentecoſte, e l'Ottava dell'Epifania, nelle quali Domeniche, ed altri giorni, e Ferie eccettuate, ſi canterà la Meſſa Conventuale con l'Orazione aggiunta del Sagramento *Sub unica concluſione*) e tutto ciò s'oſſerverà inviolabilmente in tutte le Chieſe tanto de' Secolari, che de' Regolari.

Nel giorno Medio, oltre la Meſſa Conventuale, ſi dovrà cantare dopo Nona la Meſſa Votiva *Pro*

Digitized by Google

Pro Pace, o altra che verrà comandata da Noſtro Signore, ſecondo che ſtarà eſpreſſo nella Liſta delle Quarant'Ore, con la medeſima eccezione de' giorni ſuddetti, e con la medeſima regola circa l'Orazione.

Nelle Chieſe non Collegiate, e dove non è obbligazione di cantarſi la Meſſa Conventuale, dovrà in detto giorno Medio cantarſi ſolamente la Votiva ſuddetta, con l'eccezione, e regola preſcritta di ſopra nella Meſſa del Sagramento. Queſta però dovrà cantarſi ad un'altro Altare, che non ſia quello dell'Eſpoſizione, nè quello dove ſia il Tabernacolo col Sagramento incluſo, ed in quelle Chieſe, che hanno l'obbligo di cantar la Meſſa Conventuale, queſta pure ſi canterà ad altro Altare, come ſi è detto.

S'ordina eſpreſſamente, che ne' giorni dell' Eſpoſizione, Medio, e della Repoſizione, le Meſſe ſi debbano cantare coi Miniſtri parati, e non altrimenti, anche nelle Chieſe de' Regolari, non oſtante qualſivoglia loro uſo, o preteſa conſuetudine in contrario.

Nelle Meſſe private, che ſi celebreranno durante l'Eſpoſizione, non ſi ſuoni il Campanello all' Elevazione, ma ſolo uſcendo i Celebranti dalla Sagreſtia, ſi dia un piccolo ſegno con la ſolita Campanella.

Non ſi celebrino Meſſe di *Requiem* nel tempo che durerà l'Orazione di Quarant'Ore; E le Meſſe del Santiſſimo, che ſi celebreranno ne' giorni permeſſi dalla Rubrica, ſaranno meramente Votive ſenza

Glo-

Digitized by Google

Gloria , e *Credo* . Nell'altre Meſſe private correnti, ſi aggiungerà dopo le preſcritte dalla Rubrica, l'Orazione del Sagramento, così comandando la Santità di Noſtro Signore.

